


# PALAESTRA

## LATINA



ANN. XXVII (Fasc. III — N. 159  
M. SEPTEMBRI A. MCMLVII

# PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum Latinarum commentarii BARCINONE edendi

Commentariorum pretium: In Hispania et America, 50 ptarum.

In reliquis civitatibus, 65 ptarum. vel 2 \$

Pretium PALAESTRAE ADULESCENTIUM: In Hispania, 15 ptarum.; extra Hispaniam, 20 ptarum.

Pretium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 · BARCELONA

vel ad PROCURATORES singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

---

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

## INDEX

ANN. XXVII (Fasc. III) N. 159

M. SEPTEMBRI A. MCMLVII

A. GUERCIO, <i>O Patrii Colles!</i> . . . . .	125
N. MANGEOT, S. J., <i>De Seneca stoico</i> . . . . .	134
E. ORTH, <i>De Marsilio Ficino</i> . . . . .	138
AVENARIUS-MIR <i>Epistularum inter socios commercium</i> . . . . .	142
H. PAOLI, <i>Apophoreta, Carmen Conviviale, Francisci Oppidum</i> . . . . .	148
A. AVENARIUS, <i>Narratur latrocinium intempesta nocte factum</i> . . . . .	158
J. MIR, <i>Nova et Vetera: De vestibus et calceamentis Romanorum</i> . . . . .	161
R. AVALLONE, <i>Tu quoque, Christe</i> . . . . .	166
J. SIDERA, <i>Per Orbem</i> . . . . .	167
J. SIDERA, <i>Collectanea</i> . . . . .	170
BIBLIOGRAPHIA, Molina, González, Mir, Sidera . . . . .	173
PALAESTRA ADULESCENTIUM:	
<i>Paedagogus adolescentibus</i> . . . . .	181
<i>Certamen Latinum</i> . . . . .	181
C. LATORRE, <i>Musculus, botulus assus, passer</i> . . . . .	182
I. JIMENEZ, <i>Anaticulae villicae fabella</i> . . . . .	183
RAMON, <i>Anulus falsae suspicionis index</i> . . . . .	184
PAEDAGOGUS, <i>Miscentes utile dulci</i> . . . . .	186
COMAS, AUGÉ, GARCIA, <i>Rideant Pueri!</i> . . . . .	187
ANDRÉS, CODINA, ALGARRA, GARCIA, <i>Curiosa et iocosa</i> . . . . .	188

## MENDA, QUAE IRREPSEERUNT, CORRIGE SODES

Pg.	126	l.	6	pro:	crebas	lege	<i>crebras</i>
Pg.	127	l.	29	col. 2. <sup>a</sup> :	natala	lege	<i>natale</i>
Pg.	128	l.	12	pro:	musca	lege	<i>muscas</i>
Pg.	130	l.	23	col. 1. <sup>o</sup> :	cha	lege	<i>che</i>
Pg.	146	l.	18	pro:	...45);	lege	<i>...45):</i>
Pg.	146	l.	28	pro:	ejusdem	lege	<i>ejusdemque.</i>
Pg.	147	l.	5	pro:	grece	lege	<i>graece</i>
Pg.	175	l.	19	col. 2. <sup>a</sup> :	MCLVII	lege	<i>MCMLVII</i>

# PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

ANN. XXVII (FASC. III) — N. 159

M. SEPTEMBRI

A. MCMLVII

## O PATRII COLLES!

*Pace dicono al cor le mie colline*  
CARDUCCI

Mulier olim fuit natalibus clara, sed non satis sana fortasse mente, quae se profitebatur animas mortuorum geminis oculis videre, neque eas tamquam «simulacra modis pallentia miris», sed vivas, spirantes, omnia circum laeto vultu spectantes, quasi nondum exutae essent corpore. Atque, cum primum mulier aestivo tempore venerat Roma in nostram civitatulam maritimam, ut balneis se refrigeraret, en hic illic hujusmodi imagines, aliae ambulantes et deambulantes, aliae conventiculo facto inter se colloquentes, ita tamen colloquentes, ut earum voces, tamquam si essent labris impeditae ac retentae, nequirent ad aures Sibyllae nostrae pervenire.

Quis scit an per telepathiam quandam concipiantur visu portenta, ut

### LA TERRA NATALE

*Pace dicono al cor le mie colline. — CARDUCCI*

C'era molti anni fa una signora assai distinta per i suoi natali, ma forse non del tutto padrona dei suoi nervi, che diceva di vedere con occhi bene svegli le anime dei morti, e non in forma di fallaci labili ombre, ma vive, respiranti, portate a guardare beatamente tutt'intorno uomini e cose, come se fossero ancora unite al corpo. E quando, al venir dell'estate, la signora veniva da Roma per i bagni nella nostra cittadina, ecco che le vie

semideserte le si popolavano d'una gran quantità di siffate immagini: altre si movevano avanti e indietro passeggiando, altre parlavano tra di loro in capanelli, ma in tal maniera che la loro voce, come se fosse impedita e trattenuta dalle labbra, non poteva arrivare all'orecchio della nostra Sibilla

Chi sa che per una strana telepatia non si possano percepire con la vista, come avviene nei sogni, cose che la natura ci vieta di

fieri in somniis solet, quae intueri natura vetamur? Sed nova sacerdos proinde consueverat silentes umbras videre quasi iis esset mos in suum oppidum redire, ut nota loca reviserent et suo sole gauderent. Nimirum, cum esset in Urbe, fas ei fuit lepidis capitis inclinationibus M. Tullium Ciceronem rectius salutare quam solebat per crebas epistulas Petrarca, et conversari quantum vellet inter rerum dominos gentemque togatam.

At nos juvenculi excipiebamus cohibentes spiritum illa et illa de mortuis nostris, quos mulier ajebat se videre praesentes. Tum ego, haerente faucibus voce et prope balbutiens: «Dic, sis», inquam, «num quis adest nunc hic meorum?» Et illa, brevi interjecta mora: «Adest, atque proximus tibi... vetulus, curta et albicante barba... paene edentulus... quin immo omnes habet dentes, sed exiguos, breves, tamquam imminutos limae labore...». — «Sic habuit pater meus! ac quid, sis, agit nunc?» — «Nunc... nunc ore et oculis subridet... quin admovet dexteram, captus blandiendi voluntate...; nunc... paulatim recedit defixus obtutum in te...; en abit... jam evanescit... heu, nullus est». Et oculi mihi rorabantur lacrimis obortis.

Fortasse, necopinato sensuum mendaciis irretita, mulier alucinabatur, magna enim depresserant ejus animum adversa. Sed, cum nuper meum oppidum revisi, ea quae adulescentulus audiveram coeperunt nescio quo modo perfricare leniter et assidue obscuram portam animi, quasi secum ferrent abstrusam dudum mihi totius fabulae sententiam. Extemplo erumpitur nebula, et nodus exsolvitur. Jam oculis mentis non immemoris plura

vedere? Ma per la signora era cosa di tutti i giorni vedere quelle immagini senza suono di voce, come se tornassero per uso nel loro paese natale, a rivedere gli antichi luoghi e a godere ancora il bel sole. Figuriamoci che doveva succedere, quando lei si trovava a Roma! certo le era lecito salutare con gentili inchini Marco Tullio Cicerone, meglio che non potesse con le sue epistole il Petrarca, e trattenerci a suo bell'agio in mezzo al popolo togato, padrone del mondo.

Ma noi giovanetti ascoltavamo trattenendo il fiato queste e quelle notizie dei nostri morti, che la signora diceva di vedere vicino a noi. Allora io, con un fil di voce che mi si incollava nella gola, e balbettando: «Dica, per favore, c'è ora qui anche qualche mio caro?». E lei, dopo una piccola pausa: «C'è, proprio vicino a te... piuttosto vecchio... con una barba corta e quasi tutta bianca... senza denti... anzi no, li ha tutti, ma piccoli, corti, come se fos-

sero limati...». — «Così li aveva mio padre!... e che fa, dica, ora?» — «Ora, ora... sorride con le labbra e con gli occhi, tende una mano verso di te, vuol farti una carezza...; ora, a poco a poco si allontana... camminando all'indietro...; ecco, se ne va, già scompare... non c'è più». E a me gli occhi si gonfiavano di lagrime.

Forse la donna, pur così tranquilla in quel suo vedere fallace, andava soggetta a vere e proprie allucinazioni, ché gravi sventure la avevano oppressa. Ma quando, non è molto, ritornai al mio paese, quelle cose che avevo udito da giovanetto cominciarono a grattare lente e persistenti all'oscura porta del mio animo, quasi possedessero il senso di tutta la favola, rimasto tanto a lungo oscuro. Ad un tratto, si apre la nebbia, e il nodo del problema si scioglie; ora, con gli occhi della mente, carica di memorie, vedevo più cose che non la veggente con le sue guardature di traverso.

videbam quam externa mulier limis. Mea regna mirabar! Quid enim non nostrum, quid non pars maxima nostri, in oppidulo ubi suaserunt incunabula somnos, ubi beatos annos pueritiae viximus, ubi adsumus aut reditu saepe aut desiderio semper, ubi speramus eodem sepulcro cum parentibus et avis aliquando conjungi? Ibi colles aedes viae, et imagines habitus vultus vocesque nostrorum popularium, qui nunc sunt aut quondam fuere, omnia sunt nobis familiaria et tamquam necessitudinis vinculis colligata, omnia moventur in nobis ut aër quem haurimus et sanguis cujus pulsibus nostrum vivere constat. Haec animo inclusa nobiscum veniunt longe abeuntibus, haec in aliena civitate diu peregrinantes in mentem revocare juvat et singulatim recensere. Sed, cum primum redeuntibus nobis venerunt in conspectum patrii colles, quam delectat, nativum aëra patulo ore trahentes, nota loca deinceps salutare non secus quam partes nostrae ipsorum domus! Recte quidem et apte, inde ab antiquis aetatibus, natale solum *patria* et *domus* nominatur; quodsi «angulus hic mundi»<sup>1</sup> nostra *patria* appellatur, ducto a patribus nomine, non temere nec falso et vocamur filii et sumus; si *domus* nominatur non aliena, sed nostra, tota nostra est, tamquam si parietes domunculae nostrae eo usque dilatentur, ubi complectimur oculis extrema loca patriae telluris. Ac, si tanta est vis nominis patriae, ut fermenti instar totam imbuat nationem, quamnam putamus esse gloriam loci natalis, ubi magnum illud nomen ipsa genuit natura mater, ubi amor patriae tamquam in tepenti nidulo fovetur, ubi si patria non esset, nusquam esset?

Ero nel mio regno! Che cosa non è nostra, che cosa non è grandissima parte di noi stessi, nel piccolo villaggio, dove il dondolio della culla ci carezzava il sonno, dove vivemmo gli anni beati della nostra fanciullezza, dove siamo presenti o col ritorno, spesso, o col pensiero, sempre; dove speriamo di ricongiungerci nel medesimo sepolcro con i nostri padri? Lì, le colline, le case, le vie, e le immagini, il portamento, il volto, le voci dei nostri compaesani che sono e che furono, tutto questo piccolo mondo ci è familiare e quasi avvinto con i legami, proprii della parentela: tutto si muove dentro di noi, come l'aria che respiriamo e il sangue che con i suoi battiti ci fa sentire di vivere. Sono le cose che portiamo chiuse dentro di noi quando andiamo lontano, e che cento volte ci piace richiamare e riconoscere una dopoll'altra; e che giolia, appena ci sono

in vista le nostre colline, quando ritorniamo, stare a guardarle respirando a grandi boccate l'aria nativa, e salutare via via i noti luoghi come se fossero parti della nostra casa! Ben a ragione e con ben appropriata parola fin dai tempi più antichi la terra natale fu denominata *patria* e *casa*: se dunque quest'angolo del mondo si chiama *patria*, con un nome che gli viene dai nostri padri, non a caso né a torto ci denominiamo e siamo figli; se si chiama, senz'altro, *casa*, non può essere *casa d'altri*, ma nostra, tutta nostra, come se le pareti tra le quali nascemmo si dilatassero fin dove abbracciamo con gli occhi gli estremi lembi della nostra terra. E, se la potenza del nome *patria* è tanto grande da penetrare a guisa di fermento tutta la nazione, quale non dovrà esser la gloria del suolo natio, dove quel gran nome è stato posto da madre natura, dove l'amor di

1. PROP., IV, 9, 65.

Sed extra solum natale sensus patriae languescit, et nomen domus resonat absurde; nihil enim nostrum in civitate non nostra: ibi non cives, sed advenae aut peregrini sumus; non accepti hospites, sed ignoti inquilini. Vicinos non paucos habebis, *multos numerabis amicos*: sed quid tibi cum illis, aut illis cum te, cum sua cuique via sit soli et obscuro diem de die terenda? Ac, quo frequentior civitas, eo magis tibi solus videris; in magna urbe inhabitata, *noris quam sit tibi curta supellex*<sup>2</sup>. Ibis aestivatum inter abietes alpinas, ubi venusta deversoria, amoenae valles, frigidi fontes, albicantia longe nivibus perpetuis celsa juga? O virum cumulate beatum, cum exieris extra castra intus in animo posita, ut exerceas corpus reptando per praecepta montium, ut relaxes in viminea sella stratus, arcente panso diurnali musca, ut per novas et invecticias res, non secus ac per cistellas «hora mercatus pleni!» Quid tandem juvat pulchriora oblivisci quae intus in nobis sunt, ut omnis officii partes et numeros pro corpore expediamus? Num centimanus est et millepeda?

Profecto magna pars pulchritudinis deest in rebus, quas non vivificant, quasi suae ipsarum historiae, dulcia nostra animi figmenta dulcesque recordandi voluptates, nec ulla majorum nostrorum memoria. Quin etiam ipsa locorum forma, quam primum conspeximus, externa videtur et vacua sui, si cum nostrorum conferimus: hanc sane spiritus intus alit, et noster lumine vestit

patria vive come in un caldo nido, dove se non stesse la patria, non esisterebbe in alcun luogo?

Ma, fuori della terra che ci vide nascere, il senso della parola *patria* si affievolisce, e la voce *casa* perde il suo suono. Nulla è nostro in una città non nostra; lì non siamo cittadini, ma forestieri e gente di passaggio; non festeggiati ospiti, ma ignoti inquilini. Potrai avere vicini non pochi, potrai contare un gran numero di amici: ma quale interesse potrai prendere alle cose loro, ed essi alle tue, dal momento che ognuno deve battere —giorno per giorno— la propria via, solo e sconosciuto? E quanto più è popolosa la città, tanto più ti vedi come un randagio; prova ad abitare in un gran centro, e delle tue qualità farai conto come di poveri spiccioli. Andrai a passar la villeggiatura all'ombra degli abeti alpini, dove sono eleganti alberghi, amene valli, fonte cristalline, e un'ampia corona di grandiose montagne, bianche di ghiacciai? O uomo senza

pari beato, quando uscirai dal castello della tua anima, per esercitare il corpo arrampicandoti su per le balze scoscese, per rilassarlo su d'una fresca sedia a sdraio, col tuo bravo giornale espanso sul viso contro le mosche per svagarlo passando in rassegna le mostre di roba forestiera, come si fa con le cesterelle di primizie, *all'ora del mercato pieno!* A che giova trascurare le cose belle cui tende lo spirito, per eseguire le parti e i numeri di tutta la nostra attività, a servizio del corpo? Ma che siamo centimani e millepiedi?

Senza dubbio gran parte della loro bellezza viene a mancare alle cose, se non le vivificano, quasi fossero la loro intima storia, le nostre leggiadre fantasie e le soavi voluttà del ricordare, ne alcuna memoria dei nostri padri. Ché anzi, la stessa configurazione dei luoghi che vediamo per la prima volta ci sembra del tutto esteriore e come vuota di sé stessa, se la confrontiamo con l'immagine della terra natale, che qualcosa anima dal di dentro, e che il

2. PERS, V, 52.

amor. O mei colles! num saxosi tumuli sunt, an viventium induunt formas? Equidem ego, et prope et procul tales feror animo fingere, et diu contemplari. En, leniter declive in oram, promunturium Enipeum, pellucidis sinibus praetextum, amoenitate praestans, oleis glaucum consitis more Varroniano in quincuncem, pomariis dives, excursantium conventuum deliciae; inter Veliam et Paestum aequis interjectis spatiis positum, semaphoricis signis hinc Palinurum vocat hinc Misenum; atque procera lingua, per adludentes undulas ad brevem insulam protenta placidum litus praetereuntis instar navis radentem, perpetuo it salutatum sirenam Leucosiam et Aeneae neptim. In opposito sinus latere solitarius collis, convexo illo dorso subflavis saxis contexto, et exiguo capite pigre exerto e litore, refert figuram testudinis bibentis. Stat in medio collis pyramidatus: latissimus ab imo, turrato castro in acuto fastigio munitus, unde navigat oculus inter longinquas Capreas et promunturium Minervae ad semotam usque Iranimen, aemulatur aquilam obliquatis alis insidentem et verso dextrorsum forti rostro.

Licet, licet in his locis, ut prisca gens mortalium, aut mythicos nasci aut fieri.

\* \* \*

Sint Ulubrae patria, sint artae viae et «facta sine arte casa», at semper  
nescio qua natale solum dulcedine cunctos  
ducit, et immemores non sinit esse sui<sup>3</sup>.

nostro amore riveste di luce. Oh le mie colline! son davvero gobbe sassose, o prendono forma di esseri viventi? ch  tale, vicino o lontano, mi sento portato a immaginarle e a contemplarle. Ecco, lievemente declive sul lido, la Punta di Licosa, glauca di filari d'ulivi disposti come vuole Varrone in quincunce, ricca di frutteti, orlata d'una frangia di insenature, meta deliziosa delle committive di gitanti: il promontorio Enipeo degli antichi, posto a mezza via tra le rovine di Velia e quelle di Paestum, sembra assorto nelle antiche memorie: col muto linguaggio semaforico chiama ora Palinuro, ora Miseno; e con quella stretta lingua protesa tra le acque senza fondale verso la breve isoletta simile a una nave che costeggi il placido lido, eternamente va a salutare la sirena Leucosia e la nipote di Enea. Sul lato opposto della rada il solitario colle di Tresino, con quel suo dorso ammantato di pietra gial-

lastra, con quella pigra testina che fuoresce timida dal lido, rende l'immagine d'una testuggine bevente. Sta nel mezzo il colle maggiore solenne piramide, larghissima alla base munita d'un turrato castello sulla cima, donde l'occhio naviga tra la lontana Capri e la Campanella fino alla remota Ischia, gareggia nell'aspetto, con un'aquila che stia posata con le ali oblique e con l'altero rostro rivolto a destra.

E' naturale,   legittimo che in tali luoghi si nasca o si diventi fattori di miti, come i fantasiosi viventi delle et  primigenie.

\* \* \*

Sta la patria un paesuccio come Ulubre, abbia vie strette e povere case fatte alla buona, sempre

il suol natio ci guida con non so quale dolcezza,  
onde non pu  pi  alcuno dimenticarlo mai.

3. Ov., *Ex Pont.*, I, 3, 35.



Ibi de nihilo nascitur historia, sive errabundus nauta cogitat tenuem fumum e culmine domus suae exsipientem, sive abiens sponsa respicit e longinquo «comam ficus exsuperantem suae chortis maceriam»<sup>4</sup>. Quam maesta dulcedo recordandi, quae *suavis flendi voluntas*, cum, aut abeuntes longe aut longe provecti aetate, patriam cogitamus! Etenim germana imago unius cuiusque nostrum patria est; crevit crescentibus nobis: puerilis cum fuimus pueri, candida praestans juventa cum adolevimus, dives memoriis et recordationibus cum consenuimus. Olim, malorum expers et nescia fati, simul cum nobis lusit crepundiis domi, et certavit in aperto cursionum pernecitate, jocosa se abscondendi calliditate, peritia habilitateque modo exercendi volubile buxum, modo ducendi longo filo per sublime, oppositam flamini, aquilinam ex levi charta figuram, omni denique ludorum genere, quorum semper exstitit pueritia felix fecundaque inventrix. Postea, aequae ac nos, nostra nostrorumque civium prospera vidit et adversa, subrisit cunis obitusque deflevit; laudavit, non minus quam nos, aucta commoda vitae, novas extructas aedes novasque vias strato bitumine leves atque electricis ignibus collucentes, nec minus horruit, quam nos, immanes bellorum recentium calamitates et novam ab exteris gentibus malorum illuviem. Denique, cum redeuntes videt, suffultos baculo torpentia femora et magis animo aegros quam corpore, sollicita nostri, ut necopinato delectet gaudio, proponit agnoscenda *votiva*

Li, su di un nulla fiorisce la storia, sia che l'errante per i mari ripensi il fil di fumo chasale dal comignolo della sua casa, sia che la sposa che va lontano si volga indietro all'ultima svolta, a guardare «la chioma folta del fico che sopravanza il muro del cortile»<sup>5</sup>. Quale carezzante malinconia del ricordare, quale «soave volontà di pianto», allorché, o dimorando lontano o avanzando lontano con gli anni, ritorniamo col pensiero ai nostri luoghi! Giacché il paesetto natale è una fedelissima immagine di ognun di noi; crebbe come noi crescemmo: piccolo quando eravamo piccoli, fiorente di giovinezza quando divenimmo adolescenti, ricco di memorie e di ricordi quando ci facciamo vecchi. Una volta, ignaro dei mali e del destino umano, era tutto nella nostra casa, con i nostri giocattoli; poi gareggiò con noi all'aperto, nella velocità del correre, nella

felice astuzia del nasconderci giocando a rimpiattino, nell'abile perizia, ora a far girare con ampio circuito la trottola, ora a mantenere in alto con un lungo filo la cometa: sempre fu con noi in ogni specte di giuochi, di cui è felice e feconda inventrice la puerizia. In seguito, proprio come noi, vide le gioie e le pene dei compaesani, sorrise alle culle e pianse sulle tombe, non meno di noi vantò le accresciute comodità della vita, i nuovi edifici e le nuove vie lucide d'asfalto e illuminate a luce elettrica, né meno di noi vide con orrore le calamità delle due terribili guerre e la coluvie di mali che ci portò lo straniero. Quando infine ci vede ritornare sostenendo col bastone le gambe che non reggono, e ammalati più nell'anima che nel corpo, ci rinfancia con una gioia che sorprende, presentandoci come in un quadro votivo, per farcele riconoscere, tutte

4. MANZONI, *I Promessi sposi*, cap. XIII.

5. MANZONI, *I Promessi sposi*, cap. VIII.

*velut descripta tabella ea quae, absentes, de se tam saepe revocavimus, tam diu desideravimus.*

O non oblita umquam nec umquam obliviscenda patria! Num senem me vides, an adhuc puerum, quem deceant matris blanditiae? Cur enim mihi tantus amor ea memorandi, quae olim audiebam susceptus matris in gremium? Quid vult quod videor mihi numquam e pueris excessisse? Cur fert corde voluntas iterum iterumque eadem quaerere, eadem audire et videre, quae me saepe diuque oblectaverunt? An huc spectabant quae multa didici sive peregrinando sive ab antiquis poetis hauriendo, ut in ea aliquando penetrarem, quorum puer rudis et inscius non nisi externa aspiciebam? Etenim hic, quod nec puerorum aetatulis perspexi nec florentibus annis, colles altam perfundunt pacem, ducitur spiritu odor humi, et inest sanctitudo quaedam in silentio rerum. Cum enim, merso sub aequore sole, lentus aeris sacri sonus propagatur longe, ferens nuntium Angeli ad extrema oppidi tecta et procul in rura, levis strepitus tamquam alarum praetervolat caput pie nudatum redeuntium operarum ab agris; tum e cymba piscatoria, jam remis procul a litore acta, juvenes adusta facie identidem aedem sacram respiciunt Sanctae Mariae ad mare, quam rata parte sui annui quaestus solent donare pridie medii Augusti festum. Manet umida nocte piscator, timens in horas ne referat siccum quod multa promisit ingens rete Hispanicum; at diluculo, cum phaleratus decurio vigilum litoris primus veniet salutatum appellentes lintres, ilico ejus domum ibunt resalutatum trepidantes in sportula plena pisces. Interea, dum, fallente lato interjecto spatio, videntur longo ordine positi per altum electrici ignes cymbarum, ut dicas micare luminibus viam

quelle cose che, assenti, tante volte rievocammo, tanto a lungo desiderammo.

O non dimenticata mai, né mai dimenticabile patria! Mi vedi vecchio, ora, o ancora fanciullo cui si addicono le carezze materne? Perché, ritornato, mi tornano alla mente care cose che la mamma mi diceva tenendomi sulle ginocchia? Come mai mi pare di non essere mai uscito dalla puerizia? Perché mi sento portato a cercare, a sentire, a vedere le medesime cose che un tempo cercai e amai? O forse quel che imparai vivendo in sedi lontane e attingendo dai poeti antichi serviva a farmi vedere un giorno il di dentro di quelle cose, di cui fanciullo inesperto e di tutto ignaro non guardavo che la faccia esteriore? Perché, qui ciò che non compresi né nell'età della fanciullezza né nel fiore degli anni, le colline effondono profonda pace, qui par di sentire l'odor della terra, e c'è una santità nel silenzio delle cose. Quando in sole scompare sotto le onde,

e il lento suono della campana porta il saluto dell'Angelo fino alle ultime case e si propaga lontano nei campi, pare che un lieve fruscio di alti passi sul capo piamente scoperto dei contadini che ritornano dal lavoro; da bordo delle barche da pesca che si vanno allontanando dal lido i marinai dalle facce abbronzate si voltano ogni tanto indietro, verso la Chiesa, biancheggiante sulla spiaggia di Santa Maria a mare, alla quale sogliono far parte del loro guadagno la vigilia della festa del 15 agosto. Passano la notte a pescare, temendo d'ora in ora che non debbano riportare asciutto il promettente retone spagnuolo; all'alba, però, quando il gallonato brigadiedella Guardia costiera verrà a salutarli all'approdo, certo andrà a restituire il saluto alla caserma una spasella di pesci freschi e palpitanti. Frattanto, mentre le luci elettriche delle garche, per l'illusione della distanza, sembrano poste in lunga fila sul mare, da dar l'impressione di

litoraneam novae nec parvae urbis, placida sidera palantur per sublime inter binos colles longe procurrentes in mare, quibus defenditur a ventis patrium litus, per tria fere passuum milia flavis arenis praetextum et curvatis spatiis inter nativos scopulorum aggeres.

Num partem aliquam caeli spectare licuit cum essem in magna urbe, tum altis aedificiis stipata, tum obcaecantibus seminata lampadibus, tum farta deambulantium frequentia? Sed hic, perinde quasi nullum alibi sit punctum medium orbis terrarum, lucida sideribus convexa sunt loci laquearia. Quam grata voluptas concedere in «otium et oppidi rura sui»! Quam juvat tacita nocte leves ducere somnos, et die cum aequalibus fabulari, et oculos tenere in velivolas lintres, celeri prora crispantes caeruleam undam! Quam dulce prospicere notas formas faciesque locorum atque aedium, et socia memoriarum commercia exercere! *Recordarisne*, ajunt, *recordaris?* hic, ubi nitent novae domus, more urbano pictis transennis ornatae, olim vidisti pigram gallinam inter spinas et herbam scabentem uncis unguiculis humum; atque hic? hic in litore, ubi tot sunt puppes helicis alatis instructae? hic olim piscator, Caprensi more praecinctus curtas bracas intorta fascia varii coloris, solebat excitare ignem sub magno aheno bullientis picis, qua illineret navem; at tu, improbulè, usque fugatus a picis coctore, usque recursabas, ut modo prunum, modo pirum demitteres filo in atrum vas, modo etiam citrum; saepius tamen stupebas nigrantem recenti pice navem, neque opinabaris te Homerum recte commentari.

Sed ubi Homerus, ibi Vergilius: num veterem morem efferendi mortuo-

una diritta via litoranea d'una città, le placide stelle passano placide nel cielo tra i due promontori che difendono dai venti il territorio comunale, orlato per lo spazio di circa tre miglia da distesi arenili e da accolte marinelle protette da pittoresche scogliere.

Mi fu dato mai di contemplare qualche parte del cielo in una grande città, stivata da alti palazzi, seminata di lampade abbaglianti, infarcita da una folla di gente che va e viene? Qui invece, come se fosse soltanto qui il centro della superficie del globo, il lucente padiglione del cielo è come il *plafond* del paese. Come è bello rivedersi nella riposante tranquillità del luogo natio! Ché gioia poter fare un placido sonno nella notte silenziosa, e durante il giorno, tra il conversare con i coetanei, seguire con gli occhi il veleggiare delle piccole barche che sfiorano l'onda azzurrina ornandosi la prua con grossi mustacchi di candida spuma! Come è dolce rivedere le note forme dei luoghi e della case, qua-

si fossero facce amiche, e risalire con un mutuo conversare al tempo che fu. *Ricordi?*, par che dicano, *ricordi?* qui dove fan bella mostra le case nuove, con le loro persiane verdi come le case delle città, tu una volta vedevi tra le spine e l'erba la pigra gallina raspare il terriccio con le piccole unghie, e qui? qui su questa spiaggia dove tante poppe variopinte fan la mafia con le loro eliche alate? qui una volta il marinaio della paranza, con la sua colorata fascia alla caprese attorcigliata intorno ai larghi conzonetti corti, solleva attizzare il fuoco sotto il caldaio dove bolliva la pece da spalmare sui fianchi della barca; e tu, birbantello, più il cuocitore ti faceva fuggire, e più tornavi correndo per mollare con un filo nel nero pentolone ora una prugna, ora una pera; più spesso, però, te ne stavi a mirare la barca tutta lucida di pece, e non sapevi che così tu interpretavi a puntino Omero.

Ma dove è Omero, ivi è anche Virgilio: Risalgo con i ricordi a commoventi costumari-

rum corpora memoria repeto, an subit imago funeris Pallantis? Nigrican<sup>1</sup> populo late discriminat agros sinuosa via inaequali silice strata, quae per declivia ardui collis ducit ad longinquum coemeterium; ecfertur candida puella, flos in gracili calamo pruina combustus: *molle feretrum*, de patrio more, sine ulla mercede, sponte sua, juvenes suppositis per vices umeris vectant non segnes, per iter integrae ferme horae; sequitur populi *maesta phalanx*.

*Recordaris?... recordaris?... recordaris?...*

Unde veniunt tot voces? E viis, e domibus, e villis, e cymbis, e sacra aede, ab agris, e celsa arce in culmine collis imposita, undique ventunt; adsunt, vivunt antiquae civium imagines; video habitus, vultus, gestus, quodque praecipuum iis fuit; sua quemque indutum veste compressis oculis video, et voces absente aure audio. Tum, si patrem video, virum aut heroa video; si matrem audio, novissima verba morientis audio: *Dilige... fili mi... Deum... Virginem... felix eris...*

O natalis soli memorias et historias! Antiquae res non recitantur, e tabulario depromptae; visu et auditu, nobilissimis sensuum, percipiuntur, et penitus animum tangunt; vivunt in memoriis et in recordationibus patres nostri: susceptis quas posuerant formis vivunt, et nepotes non immemores usque hortantur, solantur, socio itinere comitantur.

Ut ait poëta, «ardens Clio excitat et refert in lucem ingens mundi coemeterium»: sed «pia Calliope»<sup>5</sup>, musarum regina, amat oppiduli cupressos, et longum dicit tibia melos.

ALOISIUS GUERCIO

ze ormai scomparse, o mi torna alla mente il mesto corteo che accompagna il feretro di Pallante? Sulla stretta via acciottolata, che sepeggiando per il declivio del colle porta al lontano cimitero, riga per lungo tratto la campagna una nereggiante fila di gente: è l'accompagnamento d'una candida vergine, fiore consunto sul gracile stelo; senza alcuna mercede, come vuole la tradizione, forti giovani portano a gara sugli omeri, per un'ora intera, la povera bara; segue la mesta falange...

*Ricordi?... ricordi?... ricordi?...*

Donde vengono tante voci? dalle vie, dalle case, dai lontani casolari, dalle barche, dalla cara chieseta, dalle campagne, dall'antico castello che domina il colle, da ogni dove vengo; son presenti, son vive, le immagini dei compaesani d'una volta: ne vedo l'andatura, il volto, i gesti, ogni loro caratteristica; chiusi gli occhi, rivedo questo e quello con l'abito

che soleva portare, e senza udire, ne riconosco la voce. In questo caro sognare, se vedo mio padre, vedo un eroe; se odo mia madre, odo le parole che mi disse morente: «ama, figlio mio, Dio... la Vergine... e sarai felice».

O le memorie e le storie della terra natale! Le antiche cose non si recitano riesumandole dall'archivio: si percepiscono con la vista e con l'udito, i più nobili dei sensi; vivono, con le care memorie, nell'intimo del cuore coloro che erano uomini fatti, quando noi fummo fanciulli; vivono riprendendo le fattezze che ebbero; e, consigliano, rincuorano, accompagnano nel cammino i non immemori nepoti.

Come dice il Poeta, «l'ardente Clio scuopre ed illumina l'amplio cimitero del mondo»; ma la «pia Calliope» regina delle muse, ama i cipressi del piccolo villaggio, e canta un lungo canto sulla sua lira.

LUIGI GUERCIO

6. CARDUCCI, *Presso l'urna di Percy Bysshe Shelley*, 5-8.

# DE SENECA STOICO

Inter egregios doctrinae Stoicae sectatores Lucius Annaeus Seneca haud infimum tenet locum. Ortus Cordubae, Romae litteris institutus, Neronis educator, una cum Burro aliquamdiu imperii administrator, ab Attalo philosophia eruditus eoque auctore Stoicos amplexus est. Quod ut faceret, eo potissimum erat inductus, quod luxus tunc aetatis grassantis morumque licentiae pertaesus id restituere volebat, quo homo se supra animalium sortem elevaret ac propius ad Deum accederet. Quod si fecisset, beatitudinem, cui consequendae esset natus, et naturae humanae dignitatem esse obtenturum<sup>1</sup>. Nihil enim Senecae tantopere cordi erat quantopere recte de Deo sentire. Ut ceteri Stoici ita et Seneca inprimis in Deorum naturam indagabat. Ponamus igitur primum, quid *de Deo* senserit.

Deus plurimum a materia differt nec quicquam majus eo cogitari potest<sup>2</sup>. Est enim vera et ultima mundi causa ejusque artificiosus fctor et conditor neque ab alio quodam proficiscitur, sed cetera omnia maxime superat<sup>3</sup>. Alio quidem loco dicit Deum et mundum unum idemque esse<sup>4</sup>, tamem mundum ipsius arbitrio formari et regi. Illud autem arbitrium cogitatione ac lege, quas Deus ante mundi originem conceperit, gubernari. Jam mundi creandi consilium, extrinsecus minime coactum, ipsi Creatori lex est neque unquam mutari potest<sup>5</sup>. Idem consilium, cui omnia a mundi exordio praesentia erant, est in aeternum necessarium<sup>6</sup>. Praeterea Deus, qui cuncta scit et potest, mundo, antequam creasset, sortem indidit, qua omnia serie causarum necessaria suum tenent ac sequuntur cursum<sup>7</sup>.

Ipsae Deus, qui liber mundum condidit et regit, est natura justus et clemens. Ideo cuncta animantia omnibus ad vitam sustentandam praesidiis instruxit. Hominem autem inde ab initio elegit et ut filium diligit<sup>8</sup>. Omnibus rebus est praesens et, quomodo omnes sui operis partes sese evolvant, prospicit. Permanet justus ac bonus, quamvis mundi cursus contrarius videatur<sup>9</sup>. Occurrunt mala plurima, quibus optimus quisque maxime premittitur; sed ad mundum conservandum finemque consequendum necessaria sunt. Nam vita laborum discriminumque expers nil aliud est nisi mare mortuum ideoque fortissimo cuique civi vix ferenda. Quin etiam ejusmodi cum fato contentio Deo qui bonos magnopere diligit, spectaculum pergratum esse

---

1. *Ep.* 76.

2. *Quaest. nat.* 1, pr. 13.

3. *l. laud.* 3, 27.

4. *l. laud.* 7, 30.

5. *Benef.* 6, 23, 1.

6. *Qu. n.* 2, 36.

7. *l. laud.* 1, pr. 3.

8. *Jb* 1, 5, 8.

9. *Benef.* 2, 29.

solet<sup>10</sup> eo quod pugnantium robor malis ferendis et vincendis augetur ipsisque pugnantibus, qui sint quidve valeant, copia fit<sup>11</sup>. Nam solis malis tolerandis tales evadimus, quales nos esse oportet neque quisquam de iis queri debet, quae necessario accidunt<sup>12</sup>. Jam Deum, etsi qui sit, quoad vitam agimus, cognoscimus, tamen venerari et gratias agere pro tot beneficiis cujusvis est hominis. Quae gratiae non tam solitis sacrorum caerimoniis sunt referendae —Deus enim, cujus templum est totus mundus et qui ipse hominibus inservit, his non indiget— quam ipse deus cognoscendus, moribusque imitandus: qua imitatione erga omnes clementes et benefici esse studeamus<sup>13</sup>.

Deinde ponamus, quid Seneca de homine senserit. Omnia animantia id appetunt, ad quod natura ordinantur. Sed ea, quae ratione carent, impetu quodam ad agendum adiguntur, verum homo, ratione praeditus, non caece assentit aut sequitur, sed postquam sibi bonum esse statuit ac probavit<sup>14</sup>. Idem ad acquirendas virtutes non lucri sed ipsarum causa est ordidatus<sup>15</sup>. Huc accedit, quod homo, ad aeternam quam mens divina concepit imaginem creatus<sup>16</sup> et quod eadem ratio in omnibus hominibus inest<sup>17</sup>, cum omnibus cognatus et ad sui similem destinatus<sup>18</sup>, aliis non nocere, sed bene facere et amare debet<sup>19</sup>. Quae beneficentia ex mutuo amore profecta summi in hominum societatem ponderis est, veras nectit amicitias, vitam firmat et ipsos homines mundi dominos reddit, quos Dei Consilio divino oportet esse<sup>20</sup>. Jam cum mens humana divinae sit similis, inter Deum et homines quaedam cognatio existit. Quapropter quilibet homo homini res sacra est. Hinc Seneca non solum servis idem ac civibus jus concedit, verum etiam servos cum bestiis pugnare vehementer vetat et omnium primus in ludos gladiatorios invehitur<sup>21</sup>.

Corpus nostrum, quamvis summum in vitam ducendam habeat momentum, tamen cum animo comparari minime potest<sup>22</sup>, siquidem hic corpore ut casa ad tempus utitur<sup>23</sup> eaque velut hospes excipitur ideoque ei permolesta est<sup>24</sup>. Praeterea corpus aggravat et impedit, quominus ea, quae animus appetat, consequatur<sup>25</sup>. Nihil aliud est nisi carcer quidam, unde animus mortis hora egreditur<sup>26</sup>. Ipsa mors unicus maris turbulenti portus est<sup>27</sup> et dies aeternitatis natalis<sup>28</sup>.

10. *l. l.* 4, 28, 1 sq.11. *Jb* 1, 2, 7, 9.12. *l. l.* 1, 3, 3.13. *l. l.* 1, 5, 9.14. *Ep.* 95, 47, 50.15. *Benef.* 3, 15, 4,16. *Ep.* 11<sup>3</sup>, 18.17. *l. l.* 81, 20.18. *Benef.* 6, 23, 3 sq.19. *Ep.* 95, 52.20. *Ep.* 9, 17; 48, 2.21. *l. l.* 95, 52.22. *Benef.* 3, 28.23. *Dial.* 7, 8, 2.24. *Ep.* 65, 21.25. *l. l.* 102, 24.26. *Dial.* 6, 23.27. *Ep.* 102, 22, 24.28. *Dial.* 11, 9, 6.

Jam animus corpore liberatus et, ut rebus humanis purgatur, aliquamdiu terrae vicinus moratus<sup>29</sup>, in eum, unde discesserat, locum redit<sup>30</sup>. Ibi cum beatis vivit<sup>31</sup>, caelesti spectaculo vitaque exacta fruitur<sup>32</sup> ac divinum illud, quod tamdiu frustra quaesierat, propius spectans totius beatitudinis fit particeps<sup>33</sup>. Mortis igitur timore omnes nos liberare oportet. Etenim quoad mors nos angit anxii vivimus<sup>34</sup>. Quo angore superato nihil jam est timendum<sup>35</sup>. Quippe mors non est, ut plurimi putant, poena quaedam inflicta, sed lex naturae<sup>36</sup>. Ut omnia, quae videmus, aliquando peribunt<sup>37</sup>, ita et homo inde ab ortu legi mortalitatis obnoxius est<sup>38</sup>. Quocirca mortem omnibus nobis communem timere vel de ea queri, stultum sane videtur. Vita autem non tam diurnitate quam qualitate est aestimanda<sup>39</sup>. Male vivit, qui bene mori nescit<sup>40</sup>.

Sors, quaecumque nobis contingit, ferenda est. Nam in eum mundum nascimur, qui lege aeterna laborum, dolorum, morborum, egestatis, exilii ac mortis sit plenus. Quae cum ita sint, homo se ad omnia, quae occurrere solent, bene praeparet<sup>41</sup>, ut aut ferenda sustineat aut, cum non ferenda videantur, sponte e vita cedat<sup>42</sup>. Nec tamen mortem voluntariam eamque inconsideratam suadet<sup>43</sup>.

Denique consideremus, quid de *fato et vita beata* sentiat. Fatum cum sit inevitabile, nec precibus nec hostiis flecti potest. Ideo homo, quae fato accidunt, sponte in se suscipere debet<sup>44</sup>. Etenim is solus fato dominatur, qui se ei tradat, obviam eat ejusque cursum regat<sup>45</sup>. Porro cum vita beata non tam in iis consistat, quae sustinemus quam in modo, quo toleramus, sola ad beatitudinem via est recte et honeste vivere<sup>46</sup>, naturam fortiter sequi, sese arbitrio divino non tantum subicere sed etiam assentire<sup>47</sup>. Fato fortior est animus omnibus numeris eruditus atque in ea cum fato pugna fatum ipsum succumbere oportet<sup>48</sup>. Dignitas enim humana ac virtus perfecta —haec animi granditas— in eo positae sunt, quod homo mente exulta ductus fato non vincitur<sup>49</sup>, sed praepositi sibi vitae instituti tenax vivit<sup>50</sup> ac Deo duce in statione assignata honeste permanet<sup>51</sup>. Quoniam beatitudo in sola virtute consistit, parum interest hominem liberum aut catenis victum, aegrum aut sanum, divitem aut pauperem, domi aut foris, pulchrum aut foedum esse. Quin etiam in cruce aut rogo beatus esse potest. Semper enim, habet, unde

29. *Ep.* 102, 26.30. *Dial.* 6, 25; 1, 3.31. *Ep.* 79, 12.32. *Jb* 6, 25, 1.33. *l. c.* 11, 9, 3.34. *Ep.* 74, 3.35. *l. l.* 24, 17.36. *Dial.* 12, 13, 2.37. *Ep.* 36, 11.38. *l. l.* 24, 15.39. *l. l.* 30, 3.40. *Quaest. nat.* 6, 32.41. *Ep.* 76, 33.42. *l. l.* 91, 15.43. *l. c.* 70, 15.44. *Ep.* 54, 7.45. *Quaest. n.* 3, pr. 1346. *Jb* 2, 8, 3.47. *Ep.* 91, 18.48. *Ep.* 98, 2.49. *Ep.* 44, 5.50. *Dial.* 6, 9, 5.51. *Ep.* 65, 18.

sit beatus, scientiam ac virtutem, quas nemo ei auferre possit<sup>52</sup>. Sola virtus est vere bonum, cetera omnia, quae bona videntur, vana sunt nec mentione digna. Quodsi in iis aliquid boni inveniatur, ea solum ratione bonum dicitur, qua se homo recte et honeste ad id habet<sup>53</sup>. Jam cum ratio eadem sit et permaneat divinaeque originis sit et in Numine divino omnia in unum conveniant, omnia bona paria esse oportet, quamquam inter se differre a nobis dicuntur<sup>54</sup>. Quae autem docere consuevit Seneca, et ipse fecit, nam ab adversariis conjurationis falso accusatus et a Nerone, ejus olim alumno, capitis damnatus, sponte e vita cessit, dignus meliore morte.

Facile videmus, quantum Seneca, solo rationis lumine illustratus, in sapientia humana profecerit. Hinc non mirum putasse mediæ aevi theologos aliquot eum Pauli epistulas novisse. Addamus praeclarum illud auctoris: Anima viri perfecti, si considerare liceret, claritate ac pulchritudine omnia superat, quae in conspectum venire possunt<sup>55</sup>.

N. MANGEOT, S. J.

---

52. l. l. 66 1.

53. l. l. 92, 11.

54. l. l. 66, 5.

55. l. l. 115, 3.



# DE MARSILIO FICINO

(PLATONICO, a. 1433 · 1499)

Marsilius Ficinus natus est anno 1433 (die 19 mensis Octobris) in vico Toscano, cui nomen est Figline, qui 40 chilometra abest ab urbe Florentia.

Infanti nomen Marsilius inditum est; cuius pater Ficinus, anno 1403 natus, medicinae artem exercuit, et postea professor in universitate Florentina renuntiatus est. Illustris fuit homo qui nobili ac proprio generis insigni honestabatur et praedium compluresque domos habebat, sed haud prospere ei negotia procedebant, adeo ut res familiaris minor fieret, cum octo filios alere deberet, quos ab uxore Alexandra anno 1413 nata et 1431 in matrimonium ducta, habuerat. Quae Marsilii mater religioni maxime dedita fuit, et insequentibus annis in filii philosophi domo vitam egit, ubi octoginta quattuor annos nata —anno 1497— duobus annis ante Marsilii mortem (1499) diem supremum obiit.

Primo Marsilius in vico perparvo, fortasse ab ipso patre, litteris institutus esse videtur; deinde ab anno 1449 Florentiae artibus liberalibus operam dedit: grammaticae, rhetoricae, logicae, non autem linguae Graecae, cuius studium multo post (a. 1459) est aggressus, cum viginti sex annos natus esset. Rudimentis litterarum humaniorum Florentiae perceptis in universitatem Pisanam se contulit, ubi ab anno 1449 ad annum 1451 disciplinis est excultus. Biennio post (a. 1451) Florentiam rediit, ubi eodem anno parvam « tonsuram » accepit; et quadraginta annos natus (a. 1473), postremo sacerdos est creatus.

Ab anno 1451 ad annum 1458 Florentiae ad nova litterarum studia se contulit dum victum sibi comparat. Anno 1458 Bononiam ad studia Aristotelis profectus est, ubi duos annos arti medicae vacavit; anno vero 1459 Florentiam reversus magna diligentia philosophiae Platonicae operam navavit. Anno 1463 Marsilius vitae rationem mutavit, cum Cosimus Medici princeps Florentiae, qui et pater patriae appellabatur, cum Ficino, Marsilii patre, de ingenio Marsilii est collocutus, cumque philosophia Platonis multum oblectaretur, summopere est cohortatus ut Marsilius linguae Graecae operam impenderet, quo Platonem Latine redderet; quamquam nonnullis annis ante (a. 1459), Marsilius viginti sex annos natus magistro Graeco, Platina duce, Graecis litteris operam dedit in universitate Florentina ubi viri docti Graeci Byzantio profugi linguam Platonis optime docebant. Ab anno 1463 usque ad annum 1474 Platonis libros omnes latine reddidit; eodem anno 1474 etiam opus illud clarissimum duodeviginti libris constans quod inscribitur *theologia*

*Platonica* finivit. Anno 1473 die 18 mensis Decembris dum Platoni operam impense dat sacerdos est institutus et postea canonicus renuntiatus. Die primo mensis Octobris anni 1499, sexaginta sex annos natus, e vita cessit.

II. — Praecipuis vitae Marsilii temporibus relatis, studium, quod de Platone est aggressus, diligentius investigemus. Primo scriptores Latinos tantum legit; adulescens commentarium de Lucretii carmine qui inscribitur «de rerum natura» exaravit, quem aliquot annis post igne delevit; ex hoc quidem commentario effici potest Marsilium philosophiae antiquae vel adulescentem magnopere vacasse; ex Ciceronis scriptis summam quoque Platonis venerationem hausit; ad doctrinam vero scholae Aristotelicae parum accedebat sed potius magistros illius sectae effugiebat; quodam animi impetu ad Platonis philosophiam penitus cognoscendam trahebatur; multis autem annis post Aristotelis quoque opiniones laudavit atque cum Platonis consociare cupiebat, quia convenientiam quamdam inter illos philosophos (magistrum et discipulum) intercedere perspicue intellegebat; attamen ea, quam Marsilius docebat, philosophia potissimum Platonis opinionibus nitebatur quibusdam sententiis e Peripateticis desumptis, sed philosophis antiquis omnino innixa, non vero a scholasticis posterioribus sumpta. Marsilius omnibus locis Platonem praedicabat, ut ex hoc dicto patet: «Quamquam Plato noster genio suo vivit et victurus est, ut arbitror, dum mundus ipse vivet, meus me tamen genius huc semper impellit, ut post divinum cultum ante omnia Platonis vitae prospiciam». Philosophiam a Platone tripartitam Ficinus ita disposuit:

1. *physica* respondet Deo Patri creatori mundi;
2. *logica* respondet Deo Sancto Spiritui summae sapientiae;
3. *ethica* respondet Deo Filio donatori beatitudinis.

Cum Academia Platonica Florentiae condebatur Marsilius Ficinus caput et princeps hujus instituti erat; sed haec Academia sejuncta erat ab universitate; Ficinus numquam professor universitatis Florentinae fuit neque ibi docuit; immo in templis de Platonis ejusque scriptis atque sententiis christiane sonantibus loquebatur. Marsilius amicos suos appellabat «Academicos», «fratres in Platone», «Platonicam familiam»; aliquando introductionem in Platonis «Philebum» in Ecclesia Angelorum Florentiae ita loquendo aperuit: «Nos igitur antiquorum sapientium vestigia pro viribus observantes religiosam Platonis nostri philosophiam in hac media prosequemur Ecclesia; in his sedibus Angelorum divinam contemplantur veritatem»; Ficinus dicebat: «Amo equidem Platonem in Jamblichio, admiror in Plotino, sed in Dionysio venero».

Trecentis annis post Marsilium Ficinum iterum alius Platonis sectator in Britannia exstitit, cui nomen erat Thomas Taylor (1758 - 1836), qui eadem alacritate et studio atque Ficinus Platonem Neoplatonicosque amabat eosque

Anglica lingua reddidit. Praeter Platonem etiam Plotini perdifficiles «enneades» (= quinquaginta quattuor libros) et Jamblichi et Procli opuscula aliqua philosophus Florentinus latine reddidit; multas orationes de Platonis operibus habuit; plurimas epistulas ad amicos misit, semper fere lingua Latina scriptas, quam perbene callebat; quoniam Platonis sectator sedulissimus erat, ejusdem etiam mentem, vitam, modum scribendi diligentissime imitabatur; lampada perpetuo accensam ante Platonis imaginem habebat tanta illius philosophi admiratione et veneratione affectus. Inter viros qui Marsilii peracutum ingenium adjuvabant hi numerantur:

Christophorus Landinus (1424 - 1504) natus in vico Prato, non longe a Florentia sito, qui anno 1468 disputationes Camaldulenses philosophiae plenas scripsit; in universitate Florentina eloquentiae professor fuit. Imprimis tamen viri religiosi ac sacerdotes Graeci ex urbe Byzantio Florentiam ad concilium (a. 1439) congressi qui studium linguae Graecae ejusque litterarum in Italia explicabant et provehebant:

- Joannes Argyropulus (a. 1436), logicus Aristotelicus;
- Joannes Bessarion Cardinalis (a. 1403 - 1472);
- Georgius Scholarius (postea Gennadius cognominatus);
- Georgius Gemistus Plethon (monachus Basilianus).

Anno 1439 Graeci certe iterum magistri mundi et orbis occidentalis facti a concilio Florentino omnes paene sacerdotes Graeci summae in litteris et doctrina auctoritatis Romam, sedem Summi Pontificis, petierunt. Praeter alios amicos Marsilius his sex viris doctissimis adjuvantibus ad interpretationem Platonis Latinam perficiendam utebatur, quos ita enumerat: «Ne forte putes tantum opus editum temere, scito cum jam composuissem, antequam ederem, me censores huic operi plures adhibuisse: Demetrium Atheniensem non minus philosophia et eloquio quam genere Atticum, Georgium Antonium Vesputium, Joannem Baptistam Boninsegiunum: Florentinos viros Latinae linguae Graecaeque peritissimos; usum praeterea acerrimo Angeli Politiani doctissimi viri iudicio, usum quoque consilio Christophori Landini et Bartholomaei Scalae, virorum clarissimorum». De mutatione animi sui (exeunte anno 1469) hoc modo scripsit: «Deus meus obvius factus est mihi; Deus... meas modo medullas illabitur, jam jam alit me Deus ipse totum; et qui genuit me, regenerat (me); generat animam, reformat in Angelum, convertit in Deum: quam ego gratiam tibi referam, o gratia gratiarum? Tu ipse doce me, gratia gratiarum; doce precor et praesta; gratia denique tibi met, Deus ipse tu, Deus esto». In parietibus Academiae Platonicae Marsilii (in vico Careggi postea sitae) hae inscriptiones affixae erant: «A bono in bonum omnia diriguntur. Laetus impraesens. Neque censem existimes neque appetas dignitatem; fuge negotia; laetus impraesens». Ficinus philosophus Sanctum Augustinum ita cum scriberet summi faciebat: «Legebam modo hanc felicitatis definitionem in «Confessionibus» Augustini nostri, cujus divina vestigia, quoad

possum, frequentissime sequor». Per Augustinum denique Marsilius Ficinus velut ex ethnico Platónico Christi miles factus est. Virtutibus christianis ornatus suam fortunam valde variam cum sorte principum Mediceorum arte conjunctam tranquille toleravit et ad prosperum vitae finem direxit.

III. — Postremo de nonnullis Ficini proprietatibus animi et corporis pauca dicamus. Saepius de corpusculi sui natura debilissima est questus; parva erat statura; et de recuperanda sanitate, eo aegrotante et graviter affecto, non raro desperatum est; aliquando paene caecus factus est; dicere solebat: «Numquam diem integrum firmam corporis valetudinem sum expertus; quando Deus ipse nostra firmitas est, infirmi undique esse non possumus». Valetudinem diligenter curabat nec suam solum, sed amicorum et omnium hominum cum arte medicinae egregie peritus curationes gratuito semper faceret.

Vestitu totam vitam ac supellectile tenui contentus, mundior quam delicatior ab omni redundantia ac luxu penitus alienus; impensius ad vitam necessaria procurabat; cibi parcus, sed vina probatissima conquirebat ut paulo post eum Desiderius Erasmus (1467-1536); in libidinem nequaquam proclivis fuit; sorte sua semper contentus nulla umquam profundendi aut cumulandi cupiditate agitabatur; ad res agendas segnior erat, ut philosopho par est. Animo fuit mansuetissimo ingenioque miti et eleganti; quamquam ex impulsu bilis iracundia efferebatur, cito tamen iram ponebat; injurias facile obliviscebatur; urbanitate ac salibus nemini cessit; ejus dicta facetiarum, jocorum risusque erant plena; in morum inventione erat admodum facile et felix; in disputando non ita efficax aut promptus; modus dicendi ad philosophiam commodus erat ac decens; non satis valuit arte critica neque momentum et pondus rerum antiquarum cognoscere poterat; ut homo doctus et philosophus Platonicus erat severus, ut amicus inter amicos hilaris; plebem praeteribat: «Quid plebs? polypus quidam, id est: animal multipes sine capite». In magia singularis ac divinus habitus est; religionis erat defensor acerrimus, superstitioni maxime infensus; mira dulcedine ad lyram antiquo more cecinit.

A divitibus viris amicisque Florentinis adjutus interpretationem Latinam Platonis aliosque libros typis excudendos curavit; redivitibus canonicatus vitam moderatam ac philosopho aptam degere licuit; tam ingeniosus fere fuit quam amicus ille Pico della Mirandola (1463-1494) qui proximus ad domum Marsilii habitabat. Ficino auctore philosophia Platonica multum progressa est; ultimis septem vitae annis Marsilius Platonis sapientiae totus se dedit Platonisque sententiis ad mortem sese praeparavit; ut Plato divinus et deus inter philosophos a Ficino habebatur, ita per Platonem Marsilius Ficinus immortalitatem philosophi propriam accepit.

# EPISTULARUM INTER SOCIOS COMMERCIIUM

*Andreas Avenarius S. V. D., Joseph Mir, C. M. F., S. D.*

Non mediocriter, mihi crede, gavisus sum illa legens, quae ad mea vocabula in *Palaestra Latina* (27 (1957) 31 sq.) responderas. Et fuit in meis litteris me fortasse etiam plura missurum esse. Plura in examine vocabularii, de quo ibi significaveram, effecta sunt, in quibus inveniendis vel fingendis nonnihil consumebam temporis. Et utinam ad manum esset lexicon Hispanicum, Germanico-Hispanicum maxime, facilius te docerem, ecquid notionis in audientium vel legentium mentibus progigni cupiam vocibus singulis. Utar igitur Gallicis, Italicis, Germanicis verbis, nam ea adminicula, ubi usus erit, utrique nostrum praesto erunt. Et memento in libris meis esse vocabularium hodiernae Graecae linguae, collectionis Langenscheidtianaë, quod olim impenso pretio comparavi spe ductus —neque ea me fefellit— reperturum in eo in novanda vocabula aditus. Sic nuper quaesivi, quem hodie Graeci «colligatorem» vel «ligatorem librorum» dicant nostrum, quem matricularum paroecialium scriptores illis temporibus compactorem vel concinnatorem librorum vocasse video, quem etiam «glutinatorem librorum» vel «bibliopegum» appellari scio. Hunc illi vocant proprio expressoque nomine «bibliódeten», quod ego nomen, quibusdam fortasse reclamantibus, sine dubitatione Latinitate donavi.

Saepe haeseram in appellandis illis chartis, quae affixae muris ad celebrationes invitant cives, merces commendant, decreta senatus evulgant; Galli *affiches* dicunt vel *placards*, nos singulariter *Plakat*, pluraliter *Plakate*. Nunc dixi «publicatoriam chartam» vel tabulam; poteram «notoriam vel notificatoriam» chartam facere.

*Porto* esse respondi «lacionis pretium».

Chirographum secutus «photographum», imaginem photographicam, feci, eumque locum ubi photographus artem exercet efficitque imagines luce exceptas «photographium», i. e. φωτογραφειον.

Utinam esset in lingua Latina vox par illi quam nos *Tasche* dicimus, et est sacculus, qui insui solet in nostris vestimentis, in braccis, colobitis, tunicis, nonnumquam etiam in indusiis. Itali, non invento in thesauro suae matricis linguae nomine, Germanicum nomen adoptaverunt adaptantes formam, ut dicant *tasca* et habeant *oggetti tascabili*. Quam illi belle! quam comode! Sed hic Volapuci mihi subit recordatio. Sunt igitur horologia partim

grandia, quae in sacrarum aedium turribus collocantur, sunt mediocris formae, sunt pertenuia, quae in illiusmodi «vestiariis sacculis» portare solemus. Et Itali quidem certe intellegent, si loquaris de *orologi tascabili*, sed ipsi conspicati chronometrum tam parvum exclament: *Che bello orologio da tasca!* Rem Galli appellant *montre*. Latine loquens id utensile dicere coepi «horologiolum», Mariano, lexicographo Italo, scribente «horologium manuale», quod imitatus «horologia brachialia» loquor.

Scripserant adulescentes nostri: *Drahtlose Telegraphie*: «telegraphia sine filo»; mutavi in «radiotelegraphiam» cultiorum nationum orbis.

Sunt stili, cerussatis stilis similes, quorum filum scriptorium non est cerussa, sed massa anilinata, et vocatur a nobis *Tintenstift*, a Gallis *crayon encre*, nam quae scripseris illa massa, durabilitatem atramenti habent, et cave ne madefiant, si non vis dilui. Cum aliquamdiu cogitassem, ecquid redderem, scripsi «graphium atramentale», quae tamen vox, fateor, etiam penna stilographica esse potest, et memento non praecipere me, sed quaerere vocabula.

Redeo ad rem horologiariam: horologia ubi vis motiva relanguit, novo motu donanda sunt. Hic Italus serae Latinitatis usus verbo *caricare* dicit horologium, nos dicimus «*die Uhr aufziehen*», ex quo ego antehac «retorquere horologia» dicebam, nunc ab illo Baccio doctus, et a George meo instructus, dico «dare vel potius restituere horologio machinationem». Neque adeo raro fit ut horologiarii indices vel lanceolae aberrent a vero tempore, ut oporteat «accommodare».

In bellicum usum constructa navigia sunt, quae sub undis moventia oculis se hostium subtrahunt. Ea navigia Marianus, professor, in suo lexico Italico-Latino «submergibiles vel mersiles naves» nominat; potuit «subaquea navigia» novare —adjectivo usus Tertulliani— et mihi placerent, si apud ullum scriptorem viderem, «submarinae naves».

Quam scite novatum est «hodometrum», emensae vel percursae viae indiculum, e quo, quandocumque velis, legas quot confeceris chilometra digaria.

Sunt quaedam conclavia in nostris aedibus sexcentis lagunculis et unguentorum pyxidiculis ornata, ubi vulnera obligantur, ulcera secantur, theae medicinales coquuntur. Da mihi nomen eorum conclavium, quae nos *Verbandzimmer* vocamus, quae quidem etiam «ambulatoria» nominant. Rem Zingarellius sic describit: esse etiam locum qui adhibeatur ad momentaneam curam morborum. Eum locum «obligatorium» novo nomine voco, scilicet ubi obligantur vulnera locum.

«Praescripta viaria» sunt praecepta, quibus consulitur incedentium in frequentia viarum securitati.

Megalophonium vel megaphonium quid sonet, delineatoria vel graphica charta quid sit, non opus est dicere.

«Lavatorium» est locus ubi lavantur lintea, praecinctoria, socci, sacci.

Est mihi deinde taedio, quod nemo veterum, sicut salinum fecerant «piperinum» produxit et «sinapinum», quae condimentorum synthesis cenantibus proponi solet.

Ille capulus quo flumen electricum vel jungitur vel intercipitur non inepte «vertibulum» audiat.

Sentisne quos ego «coloratores» esse affirmaverim? Eos qui fenestras, portas, arcas variis coloribus illinunt. Quorum officinam, ubi vasa et colorum chartaceos saccos cernas, «colorariam» dicebam vel «chromatisterium».

«Sarcinarium» eum locum dici posse putabam, ubi stringuntur involutae chartaceo tegmine librorum aliarumque rerum sarcinae cursui publico ad transportandum committendae.

Nam si narrem tibi nos hodie «eculeo serratorio» calefactos, si quos currentes me vidisse ad «forulos cibales», si illos adulescentes scripsisse narrem «solutionem in acceptione», fortasse, qui sint hi sermones, minus intellegas, sed juvat explicare. In nostris regionibus ex silvis comparantur ligna. Veneunt asseres, si crassiores fuerint fissiles, sed longiores, quos in longitudinem idoneam fornaci serrari oportet, et findi dolabra. Ad serrandum in his regionibus collocatur quem *Holzbock* nominamus, qui ex duobus constat paribus tignulorum in formam decussatae crucis compactorum et inter se assere intervallo plus minus metri junctis. Hoc genus pegmatum decrevi «eculeum serratorium» esse, eo audacius, quod Galli hoc *chevalet* vocitant. Si ligneum praesepe cogites et pro cista pabuli serrandum assere, habes fere qualis sit serratorius eculeus.

In communitatum religiosarum culinas solis coquis liber est accessus. Structores mensae vasa ciborum in triclinia ferenda ex forulis capiunt vel loculamentis, quae in Germania audiunt *Küchenschalter*, in Gallia *guichets*. Et credo id genus opportunissime «promptuaria» vocari, quoniam per eas aperturas murales promuntur cibi.

Restat ut quid sit «solutio in acceptione» audias. Saepe merces cursui publico permittuntur, quarum pretium ipse qui reddit tabellio exigit. Itaque Galli ejusmodi perceptiones dicunt *envoi contre remboursement*, item Itali *contro rimborso*, nos *gegen Nachnahme*. Pro hoc igitur «solutio in acceptione», quod rem utcumque significat, ego adnotavi: «mercis pretium exhibitori (contra exhibitionem) porrigendum».

Erat in animo horum farraginem vocabulorum hic ponere ordine «alphabetico», sed audisse ratus tuum tanta nube penetrata suspirium facile supersedeo attexere alia. Tantum te oro, ut, quod pro tua humanitate praestitisti in priore parte illius parvi vocabularii, etiam in hac posteriore praestes, ut, si qua tibi videntur respuenda, respuas, si meliora videas, proferas cum utilitate non mea solius, sed etiam eorum, qui haec, qualiacumque sint, legerint.

Et fortasse in his sunt, quae jamdudum vel a me ipso vel ab amicis trac-

tata et illustrata sunt. Ubi in talia incideris, hoc unum statue: in senibus, tametsi Cato Major contra disputet, minui solere memoriam. —Cura ut valeas. Nam bona valetudo, quanti sit, tum demum intelligimus cum nos incommode habere coepimus.

Tyrsirutis, Superioris Palatinatus, V kal. Majas, anno Christi 1957.

*Josephus M.<sup>a</sup> Mir, C. M. F., Patri Avenario suo salutem plurimam dicit.*

Quid de vocibus a te propositis sentiam, subjecto vocabulario, aperte ostendam.

De his quae disputamus deque reliquis sententiam Patris Caelestis et Holzer vehementer exspectamus.

Vides quanto mentis acumine quantaque animi calliditate, Latino carmine usus, res nostri temporis doctissimus vir idemque poeta clarissimus H. Henricus Paoli verset et agitet? De novis verbis nostris rebus ab eo impositis alias disputabimus.

Feriae aestivae placidae hilaresque tibi procedant, optimaque frui valetudine.

Barbastro, Idibus Juliis, anno MCMLVII.

#### AD PROPOSITA AB AVENARIO VERBA RESPONDETUR

**Glutinator** [*encuadernador·relieur·ligatore·Buchbinder*]: quam vocem adhibet Tullius (*Ad Att.* 4, 4, 1): «Velim mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utatur *glutinatoribus*». «Concinnator librorum»: quibusdam fortasse probabitur; «bibliopēgus»: neque graece neque latine ab optimis scriptoribus scriptum invenies, ita ex lexicis; vox tamen rei maxime convenit, nam *πυγός* latine est «bene compactus», et memini me aliquando hac usum esse voce; cum autem alia habeamus vocabula, vocem quae est «bibliodētes» in linguam Latinam non esse inducendam censeo.

**Nuntiorum proscriptiones** [*carteles, anuncios·affiches·affissi·Plakate*]: ita redderem latine *affiches* cum his chartis seu foliis «res aliqua publica fiat»; vel etiam: «nuntiorum libelli»: nam hi sunt «tabellae quae publice affiguntur vel feruntur ad aliquid vulgandum» (Cfr. FORCELLINI, s. v. *libellus*, 5); quibus verbis —ut rem nostrae aetatis subtilius designemus— genitivum «nuntiorum» adjungamus. Si placet, sint «folia commendaticia». —Sufficiantne vetera?

**Vectura** [*porte·porto·porto·Porto*]: Marianus habet: *franco di porto*: «vecturae pretio soluto»; *porto* igitur erit: «vectura, vecturae pretium», vel si mavis «latio, lationis pretium».



**Photographia:** verbum jam tritum; quanquam quidam Latinis verbis — «imago luce expressa» — illud efferrī malunt; quam imaginem, si «photographum» appellaverimus, incerti saepe haerebimus, cum «photographus» etiam sit qui photographiam effingat. «Photographium» vero ex origine vocis maxime probabile est, quem tamen locum alii (Cfr. MARIANO) «photographiam» quoque appellant.

**Horologium,** *horologium, manuale horologium, horologium bracchiale:* cfr. quae in PALAESTRA LATINA, 26 (1956) 169, de *horologio bracchiali* dixi.

**Radiotelegraphia:** quam multi olim «telegraphiam sine filo» dixerunt (cfr. *Societas Latina*, 2 (1933) 11); idem tamen significatur: «radiotelegraphia aliquid nuntiare», «telegramma per undas radiophonicas vel electromagneticas mittere» ac «per telegraphiam sine filo aliquid nuntiare» (cfr. COGNASSO, *Il Latino*. s. v., et LURZ, *Societas Latina*, (1952) p. 20, qui utramque exhibent locutionem).

**Graphium atramentarium** [*lápiz tinta - crayon encre - matita - Tintenstift*]: *Societas Latina*, 2 (1933) 12: «plumbum indelebile»; de qua voce Dr. H. LIS (*Societas Latina*, 6 (1938) 45); «stilus atramentarius significantior est quam plumbum indelebile»; CAPELLANUS-LAMER (*Sprechen Sie Lateinisch?* 11 ed., p. 90): «lapis [so nach dem Ital.] atramentarius»; eandem proferunt vocem MENGE-MUELLER (*Langenscheidts Taschenwörterbuch*). Ex scriptorum locis qui in PALAESTRA LATINA (25 (1955) 168) sunt commemorati cum de «graphio» (*lápiz*) disputavi, «graphium atramentarium» plerumque dicendum, quanquam nec «lapis», nec «stilus» minoris sunt habenda. Ceterum satius est «graphium atramentarium» dicere quam «atramentale».

**Intendere horologium** [*dar cuerda al reloj - monter la montre - caricare l'orologio - die Uhr aufziehen*]: «retorqueri» quodam modo horologium videtur ejusdem machinatio, et ideo quibusdam placeat verbum «retorquere». Multi tamen scriptores — praeter illas Bacci locutiones (*dare, agere horologio machinationem*) —, «intendere horologium» etiam dixerunt (Cfr. J. WAGNER (*Dictionarium Hungarico-Latinum*, s. v. *óra*); CAPELLANUS-LAMER (*Sprechen Sie Lateinisch?* 11 ed., p. 6); MENGE-MUELLER (*Langenscheidts Taschenwörterbuch*, s. v. *aufziehen*); BIONE vero (*Vocabulario della lingua latina*, Signorelli, Milano, 1943): «horologii machinationem instruere». — Tu dicis «accomodare horologium» [*poner el reloj en hora*]; alii etiam «componere, instruere» fortasse dicent.

**Navigium subaquaneum - Navigium submarinum** [*submarino sottomarin - sottomarino - Unterseeboot*]: praeter ea quae ab Avenario afferuntur habes: «navis mergibilis; subaqueus linter» (JACOBELLI, *Novi flores*, 1914, s. v. *sottomarino - sommergibile*); «navis submarina, navis submergibilis» (*Societas Latina*, 2 (1933) 12 et 1 (1952) 20); «navicula submarina» (*Societas Latina*, 11 (1943) 7); «submarinum navigium» (*Candidatus Latinus*, 1 (1928) 68; MIR, *Nova et Vetera*, p. 51); «navis submarina» (J. WAGNER, *Dictionarium Hungarico-Latinum*, s. v. *tengeralattjárdó*); «submarina linter» (TEMPINI, *Manuale di compo-*

sizione latina, SEI, p. 104). — Attamen adjectiva «subaqueus, submarinus, submergibilis, mersabilis» BACCIO non probantur, nam «apud Latinos scriptores optimos nequaquam inveniuntur», ipseque profert: «subnātans liburna, subnātans linter, subnātans navigium» et grece «hypobrychion»: quibus tamen, ut patet, verba tantum accommodantur. Quod si Cicero et Caesar de «rebus transmarinis» sunt locuti, nonne vera est probabilis ratio eosdem hisce temporibus de «navigiis submarinis» esse locuturos? — Vides igitur non pauci esse quibus «submarina navigia» placeant.

**Hodometrum - taximetrum** [*taxímetro - taximètre - tassametro - Taximeter*]: verbum Graecum sed probandum; Marianus habet: «(vecturae) taxationis index»; COGNASSO: «taxametrum, vecturae index»; BACCI: «itineris metiendi index; facti itineris index; Graece: taxametrum»; *Societas Latina*, 2 (1943) 11): «taximetrum» (*Wagen*); hodometrum (*Wegmesser*). — Scribendum tamen «taximetrum» censeo, ut Galli faciunt — qui primum nomen invenisse dicuntur — et Hispani, cum τάξις significet et ordinem seu rationem itineris et una tributum, impendium praestandum; «taxametrum» vero — potius quam a verbo Graeco τάσσω ortum (Cfr. BACCI, *Lexicon*, s. v.) —, cum ipsa voce taxi-τάξις conjungendum dixerim, ejusque vulgaris videtur apud Italos accommodatio, cum τάξις tributum seu taxationem quoque significet, quae et minus latine «taxa» (*tassa*) dicitur.

**Vestiarum sacculi, ambulatorium, lavatorium, sarcinarium, praescripta viaria, coloratores, eculeus serratorius**: laudo et probō; iterum autem sunt expendenda et ad aliorum sententiam et iudicium referenda: *obligatorium, piperinum, sinapinum, coloraria, chromatisterium*. — Quid vero proprio nomine «colobium» appellas, quam significas rem?

**Foruli cibarii** [*torno - guichet - torno - Küchenschalter*]: fortasse et «fenestella cibaria»; «cibarius» praestat quam «cibalis»; «promptuarium» aptius est «cella promptuaria» (*dispensa - garde-manger - dispensa - Speisekammer*).

**Megalophonum — Megaphonum** [*megáfono, altavoz - haut-parleur - altoparlante*]: Bacci praeterea habet; «vocis amplificator, vocis propagator»; cfr. quae de «telephōno» dixi (PAL. LAT.; 25 (1955) 169, et 27 (1957) 88), ex quibus «megalophon[i]um, megaphon[i]um» potius est scribendum.

De *vertibulo* spero fore ut Holzer suam referat sententiam; neque *verticillum* omittamus neque *connectorium*, de quo est Joveus noster (PAL. LAT., 4 (1933) 11) olim locutus, neque «electricum interceptorem» (TEMPINI, *Manuale de conversazione latina*, SEI, p. 171).

**Fasciculum mittere solutione antelata pendendum, exsolvendum** [*enviar un paquete a reembolso - envoyer un colis contre remboursement - spedire un pacco contro rimborso*]: «librum misi per te (a te) impensis praestandis tabellario»; ita, praeter ea quae ab Avenario proponuntur, latine *contre remboursement* reddam.

# APOPHORETA

## ANSERIBUS DONANDA <sup>(1)</sup>

### I. OVUM

Res gestas veteres inquirere oportet ab ovo;  
Ovum sorte venit, docta puella, tibi.

### II. ACUS

Forma eadem, mos est quo lintea perforat idem;  
Sed mutavit acus, mascula facta, genus.

### III. PECTEN

Nullum qui videat superesse, poëta, capillum,  
Factus iners, alio pecten abire cupit.

### IV. GALLICUM AROMA

Parvula Francigenum quod condit aroma lagoena,  
Suavis, si promas, undique spirat odor.

### V. LAMPAS

Humanae vitae similis breviterque relucens,  
Somnia nostra vigil pendula lampas alit.

### VI. HISPANIOLAE

Vanas in nubes abeunt, sunt omnia fumus;  
Quid nos herba aliud nicotiana docet?

### VII. CINERIS RECEPTACULUM <sup>2</sup>

Ne cinis aspergat vestes vel perfidus urat,  
Huc recipi poterit sedem et habere suam.

### VIII. HASTULARUM FLAMMIFERARUM THECA

Haec tibi capsula fert, imitata Promethea, flammam;  
Machinula igniparens <sup>3</sup> tardior esse solet.

---

1. [Mos est doctissimis viris Italis Florentiam quotannis frequentes convenire ut de discipulis disputent et amicitiae officii arte jungantur. Qui mos cum per multos annos invalisset, anno tandem MCMLIII, Kal. Junis, lauto confecto convivio, *Anserinae plumae ordinem* Florentini doctores instituerunt. Kalendis vero Junis anno MCMLV cum lautum iterum celebraretur convivium et grata illius institutionis memoria haberetur, expletis epulis, ductaque sorte, conviviae munusculis sunt donati quibus et singulis lepidum distichon Latinum H. Henricus Paoli, Anserini ordinis Ἄρχων, addidit. Quo et veterum Romanorum morem, cum *Apo-phoreta* dabantur, revocarunt].

2. «Cineris receptaculum», italice: *portacenere*, hisp.: *cenicero*.

3. «Machinula igniparens»; italice: *accendistigaro*, hisp.: *encendedor*, *mechero*.

- IX. SPECULUM  
Si pulchra es, mulier, vel si tibi pulchra videris,  
Gaudebis cernens reddat ut ora vitrum.
- X. PUPA  
Est coma flavescens, est caerulea pupula pupae:  
Quidnam optare putas hanc, nova nupta, tibi?
- XI. CUPIDO SAGITTANS  
Casta puella, cave tibi cor ne perforet, ante  
Quam trepidans quaeras: «Unde sagitta venit?».
- XII. THERMOMETRUM  
Lucida vena riget lucenti condita vitro;  
Deprimit hanc frigus, tollit ad alta calor.
- XIII. OCULARIA NIGRIS VITRIS INSTRUCTA  
Phoebeos radios hebetant ocularia nigra;  
Flammantes agros pupula tuta videt.
- XIV. HOROLOGIUM  
Tardis lanceolis labentes indicat horas  
Perpetuoque silens perpetuoque loquax.
- XV. DISCUS GRAMMOPHONICUS  
Quem tu forte putas venientem a sidere Martis<sup>1</sup>  
Discum, ne timeas, vertitur atque canit.
- XVI. FURCULA  
Furcula, Romulidum priscae non cognita genti,  
Dentibus ad dentes admovet apta dapes.
- XVII. MALLEUS  
Efficere ut penetrent insignia dona Minervae  
Stultorum in cerebrum malleus ipse nequit.
- XVIII. CALCEUS  
Tale id supplicium nulli finxere tyranni,  
Urget si clausi calceus ossa pedis.
- XIX. OLLA  
Pectora sic juvenum fervere vident, fervet ut olla,  
Si clam, si subito perfidus intrat Amor.
- XX. LINGULA  
Saccharon Arabico sic suco lingula miscet,  
Dulcibus ut ludis miscet amara Venus.

1. [Cum haec legebantur *Apophoreta*, discorum coruscantium seu volantium mira visione in  
qui a Marte stella emissi dicebantur, civium animi magnopere commovebantur].

- XXI. NAVIGIOLUM VELIS ACTUM  
 Machina nulla animat nec vis electrica ducit,  
 Ventis quae pandit lintea vela, ratem.
- XXII. NAVIS IGNEA VI IMPULSA  
 Incita sulcat aquas nullis obnoxia ventis:  
 Vis agit ignipotens hanc per aperta maris.
- XXIII. MENSA  
 Italice «mensam» ne vertas, namque Latine  
 Dat tibi mensa aurum, dat tibi mensa dapes.
- XXIV. SCAMNUM  
 Suggestus habeant stulti sellasque curules:  
 Fulgurat in scamno Musa modesta sedens.
- XXV. CATENULA  
 Aurea sit, quam nectit Amor, niteatque lapillis,  
 Non gravis est umeris ulla catena magis.
- XXVI. POCILLUM <sup>1</sup>  
 Testa Arabum suavi tibi praebet aromate potum,  
 Hausit quem calidum frigida, picta nigrum.
- XXVII. POMUM  
 Eva parens pomum cum cortice prima voravit,  
 Culter namque illo tempore nullus erat.
- XXVIII. NUX <sup>2</sup>  
 E nuce non dabitur, nisi fregeris, ulla voluptas;  
 Durus Amor similis dicitur esse nucis.
- XXIX. MALUM SICULUM <sup>3</sup>  
 Hesperidum Siculum pomum non invidet auro;  
 Comprime: stillabit nectaris inde liquor.
- XXX. ROSA <sup>4</sup>  
 Pulchra, sed ut rursus numquam reditura juvenus,  
 Floreat ut breviter, nascitur atque perit.
- XXXI. VENERIS CAPILLUS <sup>5</sup>  
 Quis credat Venerem nigros habuisse capillos,  
 Antrorumque decus Cypridos esse comas?

---

1. «Pocillum», italice: *tazzina de caffè*, hisp.: *taza de café*.  
 2. [Vetus Neapolitanorum cantuncula commemoratur. «L'ammore è 'na nucella»].  
 3. «Malum Siculum», italice: *arancia*, hisp.: *naranja*.  
 4. [Tuscae cantunculae memoria renovatur:  
*La rosa l'è un bel fiore, come la gioventù:  
 Nasce, fiorisce, muore, e non ritorna più*].  
 5. «Veneris capillus». Italice: *capelvenere*, hisp.: *culantrillo* (planta).

- XXXII. CARDUUS  
Sic horrere minax, ut carduus horret in hortis,  
Crinibus adrectis femina saepe solet.
- XXXIII. FUNGUS  
Cum deceat fungum fungi bene munere fungi,  
Munere tu fungi fungere, funge, tuo.
- XXXIV. RAPUM <sup>1</sup>  
Ludo cum redeas, quidnam miserande professor,  
Quid nisi dura tibi rapa vorare licet?
- XXXV. CICER CICERONE COMITE  
Orator Cicero vehemens, inopum cicer esca:  
At Cicero ipse vetat spernere vile cicer.
- XXXVI. PAPAVERA <sup>2</sup>  
Alta papavera sunt, cum tu videare pusillus;  
Cras tamen illa cadent, pulchrior anser erit.
- XXXVII. CUCURBITA  
Doctorum in regno si forte cucurbita crevit,  
Inspiciunt dubii num queat esse caput.
- XXXVIII. BONONIENSE ISICIUM  
Sus, ut in isiciis, quae docta Bononia farcit,  
In multis asino cogitur ire comes.
- XXXIX. ASINUS  
Inscriptum videas homines ubi publica curant:  
«Imperat hic asinus, cedat oportet equus».
- XL. EQUUS  
Aedes Tuscorum, sapiens ubi judicat anser,  
Intrat victor equus, tristis asellus abit.
- XLI. RANA  
Guttur ut haec, viridis male fulta et cruribus, inflat!  
Temporibus priscis rana professor erat.
- XLII. VIPERA  
Quod jacit in pulchras non pulchra puella venenum,  
Nulla aconita dabunt, vipera nulla parit.

---

1. [Illis diebus professores scholae mediae, ut tenue eorum stipendium augeretur, non nihil commovebantur].

2. [Hujus temporis cantiluncula commemoratur:

*Tu sai che i papaveri sono alti, alti, alti;  
Ma tu sei piccolina, sei nata papaverina,  
Che cosa ci vuoi far?].*

- XLIII. ANSER  
Mures insequitur feles, felem canis ipsam:  
Nulli si noceas, candidus anser eris.
- XLIV. HYSTRIX  
Quamquam imbuta fero jaculatur tela veneno,  
Lingua feminea non metuenda magis.
- XLV. LEO  
Saepius, infelix!, mores imitate leonis,  
Pectus cerne tuum; quid latet intus? Ovis.
- XLVI. PAPILIONES  
Altas credideris flores errare per auras,  
Ventos cum volitans provocat ala levis.
- XLVII. LOCUSTA<sup>1</sup>  
Cum canit ex altis captiva locusta fenestris<sup>2</sup>  
Respondet tremulum lata per arva melos.
- XLVIII. COCHLEA HORTORUM  
E latebris cochleam perplexis evocat imber:  
Cauda ducit iter gestat et ipsa domum.
- XLIX. FABRILIS COCHLEA  
Non fert ipsa domum nec pingit roscida muros,  
Ferrea sed ferrum cochlea versa tenet.
- L. LIBELLUS ANNUUS<sup>3</sup>  
Omnia fausta ferens albus venit ecce libellus;  
Laetos hic possis usque notare dies!
- LI. CUSPIS SCRIPTORIA<sup>4</sup>  
Haec prius anseribus detraxit cuspis honorem,  
Dein sucum calamus qui gerit ipse nigrum<sup>5</sup>.
- LII. LIBER  
Regnat fraude potens indoctus et imperat auro;  
Verax qui poterit liber et esse liber?

---

1. In locustae nomine, exemplum antepaenultima syllabae corripiendae mihi obtulerunt Prudentius (*Cath.*, v. 958), Avitus, V, 194, alii.

2. [Florentini die Ascensionis festo gryllos comprehendere solent, quos, cavatis inclusos, ad fenestras suspendunt].

3. «Libellus annuus», italice: *agenda*, hisp.: *agenda*.

4. «Cuspis scriptoria», italice: *pennino*, hisp.: *plumín*.

5. «Calamus qui gerit sucum ipse nigrum», italice: *la penna stilografica*, hisp.: *la pluma estilográfica*.

- LIII. ALEXANDRI OPUS  
 (A. Manzoni, «I promessi Sposi»)  
 Inspicias animos: Abbondius incolit intus;  
 Christophoro nemo sustinet ire comes.
- LIV. MERLINI COCAI OPUS  
 (T. Folengo, «Il Baldus»)  
 Ne facilem ludum macaronica verba putares,  
 Hoc tibi Merlini tradidit anser opus.
- LV. MERLINI COCAI DE MULIERIBUS JUDICIUM  
 (*Baldus*, VI, 387-88).  
 «Femina sola potest omnem destruggere terram»,  
 —Ne plures mundos Martia stella timet—,  
 «Tam bene scit frodas animo componere torto»  
 —Non equidem dixi, nec tamen ista nego—.
- LVI. ANGELI CARMINA  
 (A. Orvieto, «Primavera della cornamusa»)  
 Ver redit; unde leves has voces Angelus audit?  
 Carmen sponte novum fistula blanda canit.
- LVII. LIBELLUS PHILOSOPHICUS  
 (Lamanna-Adorno, «Dizionario dei termini filosofici»  
 Aptus Adornus ad hoc summusque Lamanna magister  
 Verba abstrusa docent quid sibi quaeque velint.
- LVIII. BRUNONIS LIBELLUS  
 (B. Migliorini, «Che cos'è un vocabolario?»)  
 Doctrinam ostendit liber hic Brunonis et artem:  
 Quid sit, quo spectet lexicon inde patet.
- LIX. GRAMMATICA GRAECA  
 Grammaticae Graecae quidnam magis adprobet Archon  
 Si tu quaesieris, spiritus asper erit.
- LX. ROMA VETUS  
 (U. E. Paoli, «Vita romana»)  
 Idem semper homo, mutantur regna vicissim;  
 Roma togata vetus, sed tunicata recens.
- LXI. GRAECA MULIER  
 (U. E. Paoli, «La donna greca»)  
 Femina nostra tibi Graecae differre videtur?  
 Mutavit vestes, una eademque manet.



- LXII. PLANITIES SANCTI MINIATI  
 Rus, vineta, domos prospectant undique colles,  
 Vatis ibique tui floruit, anser, amor.
- LXIII. URBS SANCTI MINIATI  
 Tusca per arva fluens ex alto cernitur Arnus,  
 Argenti veluti taenia longa, nitens.
- LXIV. ARX SANCTI MINIATI BELLICO FURORE EVERSA  
 Arcis quae fueras custos, animosa volucris,  
 Arcis dejectae te miserere decet.
- LXV. ARX SANCTI MINIATI  
 Priscam gens eadem, quae struxit, diruit arcem;  
 Reddita cras surget civibus alta suis.
- LXVI. FLORENTIA SOPITA  
 Advenit hora silens; totam descendit in urbem  
 Florentina quies; sola locusta canit.
- LXVII. JULII GIANNELLI IMAGO  
 Si semel audierit tanto candore magistrum  
 Ornatum, fiet candidus ipse Satan.
- LXVIII. JACOBI DEVOTI IMAGO  
 Inclute Praeses, have, plumae decus ordinis albae;  
 Ut penetrans oculus phosphoreusque tibi!
- LXIX. ARCHONTIS IMAGO  
 Nulli jam mihi sunt dentes, periere capilli;  
 Vates sed juvenes ipsa Camena facit.
- LXX. LIBELLUS APOPHORETA LXX CONTINENS  
 Sunt totidem, nostros si quis numeraverit annos;  
 Jam venit e Stygiis cymbula tristis aquis.

Florentiae, anno MDCCCCLVI

# CARMEN CONVIVIALE

AMICIS HISPANIS SODALIBUSQUE BELGICAE  
SOCIETATIS DICATUM

O jucunda mihi redeunti terra Latina,  
    Ut mihi pulchra nites teque reviso lubens!  
Rursus, prospiciens e collibus aequora nostra,  
    Rides nunc oculis, urbs Catalauna, meis.  
Contigit optatum mihi tangere litus Hiberum;  
    Appulit Hesperium concita prora solum.  
Oppidum in Hispanum Bruxellae rite vocarunt,  
    Adsidue quisquis jura vetusta colit;  
Doctos Hesperius peregrinos accipit hospes,  
    Votis prosequitur Belgica terra procul.  
Salve, De Visscher, conventus qui Catalauni  
    Auctor eras opera consilioque tuo!  
Tu quoque, in his terris nuper mihi cognite, salve,  
    Nobilis, Iglesias, quem Salamanca tulit!  
Tempore postremus, tu, primos inter amicos  
    Donec fata sinant, semper habendus eris.  
Salvete, Hispani, Belgae, salvete, Batavi  
    Francigenae socii, vatis amica cohors!  
D'Ors et Sanmartí, quo nunc vos corde saluto,  
    Italiae memores discipulique mei!  
Salve, Martorell, mactantem quem bene tauros  
    Ictu fulmineo spectat arena feros.  
Me cupientem ad vos cupiens Florentia misit  
    Adsuetum leges tradere Cecropias:  
Urbs legum impatiens veteres amat improba leges,  
    Urbis me fateor moribus esse meis.  
Qui legesque suas odit laudatque remotas,  
    Quid nisi Tuscus erit? Solus an ille sapit?  
Adduco comitem qui quondam rexit Athenas:  
    Attica jura Solon condidit, ipse colo.

Me sequitur tacite venerabilis umbra Solonis,  
 Semper quam statui carpit et ille viam.  
 Raedis, navigiis, birotis vectamur iisdem,  
 Curribus urbanis; si libet aëriis.  
 Non male, dum sit amor, junguntur maxima parvis:  
 Me parvum haud spernit maximus ille Solon.  
 Magnus equus miserum comitatur saepe catellum,  
 In mediis turdis parvula musca volat;  
 Excelsis humiles crescunt sub quercubus herbae,  
 Fumosis casulis imminet alta domus;  
 Balaena et mullus pelago conduntur eodem,  
 Errantes una saepe feruntur aqua.  
 Urbes quid mirum si mecum circumit una,  
 Pallade Cecropia non renuente, Solon?  
 Possum deliciis vinoque carere; grabato  
 Vel, quod majus erit, pane carere queam;  
 At ne quis credat me posse carere Solone.  
 Huc veni; mecum venit et ipse Solon.  
 Atticus an Tuscus dum terras pervagor anceps,  
 Barcelona diu meta suprema fuit.  
 Impulerit quae vis errantem, audite, sodales;  
 Quae sum dicturus, credite, vera loquor:  
 Ausonios, fateor, non me liquisse penates  
 Paenitet aut caelum mite nitensque meum;  
 Hispanas vestri studium me traxit ad oras,  
 Dum nimis a sociis taedet abesse diu.  
 Qui peregrinus iter longinqua per oppida fecit,  
 Novit nil patrio dulcius esse solo;  
 Altera sed patria est ubicumque vocaris amicus.  
 Omnes sunt cives quos sociavit amor.

Barcinone, Kal. Sept. — a. D. MDCCCCLIII

# FRANCISCI OPPIDUM

Francisci vetus arx montes, qua serpit Isargus,  
Obstruit atque aditus prospicit alta jugi.  
Nulli jam cladem minitatur Martia moles,  
Armis ignivomis castra relicta carent;  
At juvat angustam claudentia moenia vallem  
Spectare e silvis, dum strepit amnis aquis,  
Et celer it currus, domita vi fulguris actus,  
Secti cui montes dant per opaca viam.  
Montibus arx haeret, rupem simulante colore,  
Valle in subjecta bellica claustra latent.  
Diffusis placide lambit munimina lymphis  
Exiguus, trepidans amne fluente, lacus.  
Haud procul extollit culmen sacra turris acutum,  
Quam, scelus!, evertit bellicus ante furor,  
Atque resecta petit, memorans sua vulnera, pacem,  
Voce pia quotiens aera sonora canunt.  
Pectore cur nostro patimur latuisse Cainum?  
Cur homo numquam homini desinit esse lupus?  
Christus nos docuit caedes horrere cruentas;  
Christum iterum adfigunt saecula nostra cruci.  
Turris, perge sono veteres memorare dolores;  
Bellum ne redeat perge vocare Deum.

In oppido Francisci, a. d. XI Kal. Dec. — a. D. MDCCCCLIV.

HUGO HENRICUS PAOLI

# NARRATUR LATROCINIUM INTEMPESTA NOCTE FACTUM

E •FOLIO DIOECESANO RATISBONENSI•  
(A. 1957, n. 2, p. 10)

Homines adulti colloquentes cum pueris. serius ocuis etiam id interrogant, quod illi cogitent genus vitae, ad quam, se artem informari cupiant: tum vero puerorum plurimi de re digaria vel aeronautica garrunt, postremo sibi nondum constare respondent. Sed Maxio ea de re deliberatum et constitutum est: se fore in numero ministrorum publicae disciplinae, unum illorum virorum, quos Angli ex detegendo *detectives* appellant, se fore secretum detectorem, indagatorem, exploratorem criminum. Et si interrogas, quî fiat, ut id potissimum sibi proposuerit munus persequendum, Maxius tuam rideat ignorantiam: nam omnes incolas oppiduli Alpium Bavaricarum, ad aestivos recessus amoenissimi, scire Maxium post mirificum casum superioris anni insignem evasurum detectorem.

Tunc temporis adeo Maxii aegrotabat mater, ut matertera ex urbe Monachio accessita curaret laborantem et administraret res domesticas. Illa cubans flammantibus genis jam neminem, ne Maxium quidem, agnoscebat. Flenti igitur Maxio matertera: «Vide, forti ut sis animo, ut quartae classis discipulus et unus in domo mas». Quam illa facile praecipiebat! Et quid se futurum, si matri, ut duobus annis ante patri, moriendum esset? Hoc Deus ne permittat!

Cum e turri campanae invitarent fideles ad Mariale rosarium —nam erat mensis october— etiam Maxius ad sacram aedem properavit, et, diffletis oculis, non processit ad scamna puerorum, sed maluit solus ultimum occupare scamnum illius anguli, ubi ad Christi natalem exstrui praesepe solebat. Itaque, variante rhythmio orationis, Maxius factus tranquillior videre videbatur assidentem suo lecto matrem, audire ex narrationibus ejus olim somno faventibus; neque commeminit, qui factum sit, ut cum singultu recordatus de matre super scamno condormisceret, tamque arte beateque dormiret, ut non animadverteret aedituum, recitatis mensis octobris precibus, occludere ecclesiae valvas. Circiter mediam noctem experrectus circumspicit stupens se solum esse in magna et vacua aede; et ipse imaginaberis, quantopere horres-

cat animi, si qui intempestae noctis silentio solitarius in opaca ecclesia evigilet, ut tum Maxius, et hic eo magis, quod leniter strepere coepit septentrionalis ecclesiae porta et per semiapertam valvam quaedam ingressa est effigies hominis. Qui in nave prima, ut si audisset pulsum cordis Maxii, constitit. Hic utraque manu comprimere labra, ne quem ederet clamorem formidinis, et cupiens se abdere scamnis non potuit pavore defixus. Ille diligenter lampadula electrica perlustrare scamna. Et jam cuneus lucidus proximus erat vepallidae faciei pueri, cum lux vexilli hasta dividitur, Maxio manente in umbra. Ille luce restincta sine voce ad altare procedit, per gradus ascendit ad mensam, auditur stridor metallicus. Tum constat Maxio hominem latronem esse effringentem tabernaculum, sed hoc nullo pacto fieri debere. Et jam clamaturus auxilium, rem videt repente opportuniorem. Demisso corpore et palpitante vehementer in pectore corde tendit ad portam, quam latro apertam reliquerat, et recuperato aperto, ut numquam in vita, currere ad domum parochi et vellere vi magna tintinnabulum. Nec mora est. Illucescit fenestra cubiculi parochi. Parochus e fenestra pronus, cum agnovisset Maxium: «Maxi, inquit, num quid gravius mammae accidit?». — «Non de mamma nunc agitur, sed fur inrupit in ecclesiam».— «Ain vero? Sed exspecta, inclamavero publicos».

Quo facto cum puero parochus cucurrit ad ecclesiam, quo etiam prius pervenerat magister custodum. Cautè tres ingrediuntur in templum. Et parochus quidem in primo oculis altare quaerit, cujus tabernaculum tenui flamma lampadis collustratur, neque id quidem effractum erat. Sed latro ubinam est? Anne Maxius luserat viros? Sed ecce, e sacristia fuscì reboant ictus. Patebat furi placuisse antiquum aequè atque pretiosum ostensorium eucharisticum. Ergo tres illi silentio procedunt, et primus quidem custos, in parvum vestibulum inter ecclesiam et sacristiam interjacens. Parochus manum apponit manubriolo, quo erecto cuncta simul ecclesiae lumina effervescebant. Latrone non segniter faciente opus, nostrorum summe cruciantur nervi, incertorum, essetne ille se defensurus. Tum parochus annuente publico aperit lampadum flammam omnium, hoc simul vocis suae tonitru furem jubente tollere manus. Nunquam Maxius viderat hominem magis attonitum et perturbatum. Non is obstitit, sed facile sibi injici manicas passus per ecclesiam festive illuminatam ducitur ad stationem vigilum, ubi exspectaverunt, quoad venisset currus, quo homines in scelere deprehensi vehuntur in custodiam.

Postea parochus ipse Maxium deduxit domum. Infirmæ matris cubiculum etiamtum lucebat, apud matrem cum matertera erant duæ feminae, quibus in culina parochus casum Maxii narravit. Puer confectus lassitudine et oppressus somno in multum diem dormiebat. Expergiscenti matertera: «Est cur gaudeas, Maxi, remittente febrì mammae melius est cepitque somnum». Eodem die frequentes adveniunt vicani, ut Maxium videant et e Maxio audiant, quae superiore nocte essent gesta. Et mater subridens

audivit Maxii sui voluntatem orandi et in recitando rosarii soporem. Interposito spatio duarum hebdomadarum vir, ex urbe profectus, Maxium rem renarrare jussit per singula, et in diurnis actis erat: «auxilio parvi pueri deprehensum esse hominem nefarium diu frustra conquisitum».

Ex eo tempore res procedebant feliciter. Nam parochus impetraverat, ut mater Maxii gratis reciperetur in valetudinarium matrum, ipse Maxium interim recipiens hospitio domi suae.

Postero anno, appropinquante die natali Redemptoris nostri allatae ex ergastulo parochi litterae sunt: veniret, cum eo loqui velle illum irruptorem ecclesiae ejus. Eo autem, qui secutus est, die dominico vicani illi novam rem audierunt commemorato, ex ambone, Maxio, non quod parvus detector alium latronem detexisset, sed quod Maxius fecerat quod ceteri detectores non soleant facere. Scripserat suo irruptori orans, ne ullum posthac susciperet latrocinium. Qua adhortatione homo commotus parochum invitaverat eique pollicitus erat nihil se in posterum commissurum flagitii atque rogaverat ut parochus hoc Maxio aperiret, Maxium effractorii sui verbis multum salvere juberet.

*AVENARIO interprete*

# NOVA ET VETERA

## DE VESTIBUS ET CALCEAMENTIS ROMANORUM\*

Romanorum vestes pro temporum locorumque varietate multiplicis generis fuerunt, neque enim constans et perpetua gestandi vestis una viguit ratio.

Omniun usitatissima fuit *tunica*,<sup>1</sup> quae viris ac feminis communis habebatur.



*Tunica* corpori adhaerebat cinctuque constringebatur; erat alba, lanea, initio manicis expers, deinde deliciores viri ad manus usque operiendas manicas addiderunt; mos tamen invaluit ut manicae medium tantum tegerent brachium seu mediam brachii curvaturam non excederent; paululum infra genua in viris demittebatur, in militibus vero et centurionibus parum supra; mulieres ac delicati viri, ut Catilinae socii, talaris tunicae induebant. Frigori arcendo duas tresve induere tunicas mos fuit ex quibus interior pro viris *subucula*,

pro feminis non numquam *indusium* appellabatur.

*Tunica laticlavica*<sup>2</sup> erat senatorum propria, eaque lato clavo decorabatur. *Tunica vero angusticlavica*<sup>3</sup> equitum erat, et angusto clavo —alii malunt duobus clavis— ornabatur. *Clavus* autem erat segmentum seu linea oblonga, purpurea, intexta tunicae vel eidem assuta, quae a summa usque ad imam oram per medium pectus defluebat. —*Palmata* fuit triumphantium et pictis aut intextis palmis decorabatur.

Praecipua et propria Romanorum vestis fuit *toga*<sup>4</sup>, qua olim omnes cuiusvis ordinis et condicionis, nobiles ignobiles, locupletes inopes utebantur;

---

\* Rogati ut interdum Romanorum quoque instituta moresque in PALAESTRA LATINA describeremus cum adolescentibus magistrisque singulares de illis rebus non essent apti libri et imagines depictae ad manus, congruum duximus id interdum breviter strictimque, quasi scholam alumnis explicantes, perficere. — Praecipua tamen de re solummodo proponimus.



quo factum est ut Romani vulgo *togati* dicerentur et fabulae Romanae, *toga fae*. Fuit autem toga vestimentum extra domum gestandum ita ut Romano civi probrosum esset domo non togato exire. In publicis vero conviviis et imperatoriis et olim in proeliis adhibitam esse certo constat.

Toga erat rotunda, clausa, non manicata, ad pedes demissa, quae totum corpus et brachia obtegebat. Ita tamen collo umerisque insidebat laxe ut antiquitus dextra manus et deinde totum brachium exseri posset; pars vero togae redundans, brachio submissa, a dextro latere ad sinistrum umerum oblique ante pectus excurrerat multaque plicarum compage componebatur, ne difflueret; rugae inde enascentes *sinus togae* appellabantur.

Togae materia duplex fuit; altera e lana villosa conficiebatur, quae ideo toga *pexa* vocabatur; altera vero minime villosa, *rasa* et interdum *scutulata* appellabatur cum scutis seu laterculis ornaretur. Toga communi consuetudine adhibebatur *alba* ex nativo albae lanae colore; sed aliquando novus a creta color inducebatur quo magis splenderet, eoque *candida* vocabatur, quo et *candidati* sunt vocati qui, magistratum petentes, ea utebantur.

In privato luctu, alba tunica posita, *pulla* ex atro colore induebatur. Fuit etiam toga *picta*, acu elaborata; *purpurea* quae regum erat et auro distincta; *palmata* quod palmas intextas exhibebat; *triumphalis* triumphantium propria.


Sed in primis toga erat *praetexta* quod limbum purpureum circumtextum seu assutum habebat; quam puellae, quoad nubent, ferebant et pueri ingenui praecipue ad septimum decimum annum absolutum — ut plures volunt—. Qua aetate praetextam dimittebant, bullam auream laribus dicabant et togam virilem sumebant. Adhibebant quoque praetextam senatores cum ludis Romanis intererant, eaque ornabantur primarii sacerdotes, Pontifex Maximus, augures.

*Trabea* denique erat toga purpureis fasciis variata quae triplicis generis fuisse dicitur; alia tantum purpurea deorumque erat sacra; alia purpurea immixto albo colore, quam reges, consules, senatores, equites gestasse dicuntur; tertia denique e purpura et cocco augurum propria.

Alia sunt vestium genera a Romanis usitata, ex quibus *paenula*<sup>6</sup> ad im-



brium et frigoris incommoda arcenda atque in itinere olim tantum usurpata; rotunda fuit, clausa, manicis expers, totumque corpus operiebat ad media



crura protensa; strictior erat quam toga, nec amplos ullos habebat sinus, et cum angustior esset manus et brachia per extremas oras exseri poterant; nonnumquam et *cucullo* praedita erat. E pelle seu corio confecta dicitur Saepius tamen laneae colorisque albi fuerunt, aliae villosiores frigori arcendo aptiores et *gausapinae* dictae, brevioris villi aliae et ad imbrem propulsandum accomodatior. Communis fuit vestis virorum et mulierum.

*Lacerna*<sup>7</sup> militaris fuit etiam vestis, qua tamen et reliqui cives utebantur; aperta fuit et laxa, e lana crassiore, ad pectus vel in umero fibula conexa, infra genua decurrebat; longior igitur sago, quaeque toto corpori amictendo ad pluviam depellendam et frigus arcendum apta erat.

*Sagum*<sup>5</sup> fuit vestis militaris, lanea, aperta, ad genua fere pertingens, fibulā ad umerum dextrum conexa, quae totum hominem ambitu suo circumcingebat. Centuriones, tribuni militum ducesque exercitus saga ex nobilitate lana facta gestabant; milites gregarii ceterique e crassiore materia. *Sagum* erat quasi belli index, ex quo locutiones illae *saga sumere*, *ire ad saga*, *in sagis esse* manarunt.

*Abolla* fuit vestis fere ex duplici panno confecta similis omnino sago militari quo Romani summa hieme laborantes et iter habentes utebantur.

*Chlamys* parum a sago dissimilis erat, Graecorum propria, ceteris vestibus imponebatur, quam induere solebant viri, matronae, reges, principes, imperatores, fabularum actores; Romani qui Graecis moribus delectabantur, hanc quoque adhibuerunt.

*Paludamentum*<sup>8</sup> fuit vestis militaris purpurea vel cocinea, imperatorum et ducum propria, a sago distabat quod parum longior et latior erat; aliquando pro veste militari sumitur, quae tunicae et armorum inducitur.

*Laena* similis fuit lacernae, ex crassiore panno, aperta, aliis quoque ves-



tibus superinduebatur, virorum fuit propria; fibula ad umerum vel collum adstringebatur frigori praecipue arcendo.



DE VESTIBUS MULIERUM. — Matronae Romanae *stola*<sup>9</sup> utebantur quae talaris erat et purpurea, sinuosa, rugis plicisque abundans et zona ad corpus cingebatur; ei *palla*<sup>10</sup> super induebatur. Quam vel *instita* ad imam oram vestis assutam vel segmentis aureis passim scite dispositis exornabant.

*Palla* fuit muliebris amictus ad pedes usque demissus, quae stolae, ut diximus, injiciebatur, palliique Graeci formam referebat; ampla et fluens, matronarum propria; quam nonnunquam scriptores perhibent alios quoque usuisse.

DE CAPITIS TEGUMENTIS. — Romani superiore togae parte, quae umero insidebat, sursum allevata, caput operire solebant; quam consuetudinem saepius scriptores commemorant. Sed fuerunt etiam singularia capitis tegumenta. *Pileus*<sup>11</sup> ex lana coacta conficiebatur, forma erat rotunda, nulla ambiabatur ora; *apex* dicitur si virgula in medio eminet, *tutulus* (pileus), si in metae figuram est factus. Solitus Sa-

turnalibus diebus vel ab ipsis servis gestari, signumque libertatis erat, nam ad *pileum* *vocare* libertate donari significabat.

Alterum tegumenti genus fuit *peta-sus*<sup>12</sup>, qui magnos habebat margines ad solis et pluviae injurias prohibendas.


*Galerus*<sup>13</sup> tria tegminum seu pileorum genera complectebatur.



*Cucullus*<sup>14</sup> etiam dicebatur pars vestis a tergo pendentis qua pluviae vel tempestatis causa caput tegebatur; fuit quoque singulare tegmen oblonga et acuminata forma, quo scapulae quoque velabantur et ad pluviae frigidisque vim propulsandam inserviebat. Saepe paenulae et sago annectebatur.

*Causta*<sup>15</sup>, cum peramplas haberet oras, ad solem et aestum vitandum aptissima erat; sed parum in usu apud Romanos fuit.

DE CALCEAMENTIS. — *Calceus* dicitur pedis tegumentum quod ex nigra alūta seu ex pelle animalium plerumque fiebat. Patricii altiores calceos ges-



tabant ad media crura pertingentes, quos quattuor corrigiis adstringebant, parvam quoque lunam in modum C litterae calceis assutam non nulli gestabant. Plebejorum vero calcei unam tantum habebant corrigiam qua pedi vinciebantur.

*Calceus mulleus*, coloris pupurei seu rubri, qui principum erat proprius et patriciorum qui curulem magistratum cepissent.

Calceus muliebrius varius, hederaceus, cereus, luteus, coccinus, purus, albus ex nivea aluta.

*Caliga*<sup>18</sup> fuit calceamentum quo milites utebantur, cujus solea coriacea clavis ferreis plerumque muniebatur; pars superior pedis et ima tibiae multis ligamentis ligabatur.

*Soccus*<sup>17</sup> fuit genus calcei commodioris, qui ligaminis expers, superiorem pedis partem obtegebat; a mulieribus fere adhibebatur; viri, nisi comoedi, eis utentes mollitiei damnabantur.

*Solea*<sup>20</sup> planta pedis infima tantum tegebatur, cetera pedis pars fere nuda, quae tamen ansulis revinciebatur. Domi communis erat viris et feminis; indecorum tamen habebatur viros soleatos palam prodire.

*Crepida*<sup>21</sup> constabat una corii solea — interdum pluribus — qua planta pedis innitebatur; pars pedis superior fere nuda — cui ligula saepe erat adnexa — et longis habenulis vinciebatur quibus quodammodo pes obtegebatur.

*Gallicae*<sup>22</sup> a Gallis primum, deinde a Romanis quoque sunt adhibitae, quae in calce et in superiore pedis parte pellibus ambeiebatur; cetera pars prope nuda ac teretibus habenis vinciebatur.

*Sandalium*<sup>16</sup> fuit genus calceamenti elegantioris, mulierum proprii, e Graecia Romam advecti, quod digitos nudos et calcem plerumque praebat ligulisque adstringebatur.

*Cothurnus*<sup>23</sup>, calceamentum fuit ex corio quod usque ad dimidiam cruris partem attingebat eoque venatores et tragici utebantur; cothurnus tragicus altior subere fiebat.

# TU QUOQUE, CHRISTE! \*

Tu quoque, Christe,  
passus es in illa nocte!  
Te percussit aqua,  
te foedavit lutum,  
te saxa ferierunt et arbores:  
aquae invaserunt et domum tuam,  
cum aquis saxa arbores irruperunt,  
aquae lutumque altaria tua sepelierunt:  
domus tua facta torrens!

Oculi tui, vultus tuus,  
corpus tuum, pedes tui  
etiam dicunt maxime te  
in illa nocte passum.

Sed tu, Christe, non pro te passus es,  
non pro novis plagis tuis:  
tu, contra, passus es pro nobis,  
pro doloribus nostris, pro peccatis nostris.

Et nos, tuo dolore dolentes,  
gratias agimus misericordiae tuae,  
misericordiam imploramus tuam,  
ne iterum nos ira Domini puniat:  
interea, Christe, cum lacrimis nostris  
accipe, accipe flores.

Salerni, m. novembri a. MCMLIV

RICHARDUS AVALLONE

---

\* Questa composizione di stile biblico è stata ispirata dal *Cristo morto* della SS. Annunziata di Salerno, il quale, nella tragica notte del nubifragio abbattutosi sulla città e comuni vicini (25-26 ottobre 1954), ha molto sofferto con tutta la chiesa e ora è meta di fedeli commossi e imploranti.

# PER ORBEM

**III Conventus Internationalis studiis classicis promovendis.** — Hic Conventus, in cujus Moderatorum numerum cl. vir A. Tovar, Hispanus, cooptatus est, a *Societate Internationali Consociationum studiis Classicis fovendis* Londini a die XXXI m. Augusto ad V m. Septembri congregabitur. Id, ut videtur, pertractandum suscipietur «*traditio*» visque creatrix apud veteres Scriptores Classicos, qui dicuntur. Quod variis modis et ad variarum disciplinarum normam a viris in singulis rebus peritissimis evolvetur.

**Consilium Consociationis Internationalis Societatum Studiis Classicis Fovendis.** — Hoc consilium coetum generalem Matriti m. aprili a. MDCCCCLVIII celebrabit. Qui coetus non est conventus scientiis cognitionibusque provehendis, sed congregatio legatorum uniuscujusque Consociationis, ad ea omnia pertractanda quae ad communem omnium utilitatem commodumque spectant.

**Conventus Societatis a cl. v. Guillaume Budé appellatae.** — Socii illius Consociationis cui est nomen GUILLAUME BUDE, quae nunquam non fovit atque provexit studia classica apud Gallos exterosque cives, quae de omnibus Classicorum studiosis optime meruit meretque ob editiones scriptorum veterum bilingues, accuratissime paratas, a die VII ad XIII m. Septembri a. MDCCCCLVIII Lugdunum (quae urbs bis millesimum aget annum quo condita est) convenient ut sextum Conventum celebrent. Ut sociis materiam totam, in tres partes digestam, amplexari liceat, triplex consilium creatum est. Quorum primum de Aristotele aget, explicabitque quantum in scientiis enucleandis Stagyrita valuerit. Hujus consilii ab actis est J. POUILLOUX. Alterum, cujus ab actis est M. RAMBAUD, investigabit archaeologiam Gallicam et Romanam quae ad Lugdunum pertinet, deinde Caesarem ejusque opus in Gallia qua ad orientem vergit, denique Lugdunum et Christianismum. Tertium denique consilium, cujus ab actis funguntur V. L. SAULNIER et M. ANTONIOLI, humaniorum litterarum cultores Lugdunenses saeculo XVI et sqq. persequetur. Supremum Moderatorum consilium hi cl. vv. constituent: A. ERNOUT, praeses; J. MALYE, ab actis; A. BRUHL, scribae ab actis adjutor.

**II Conventus linguae Latinae vivae reddendae.** — Post Avennicum Conventum, in quo tot viri illustres quid sentirent manifeste aperuerunt, alter sedulo paratur quo ea quae in primo adumbrata sunt ac paene delineata,

roborentur, penitus definiantur, confirmentur, ad ampliora producantur. Hic Conventus alter, qui diligenter, cl. v. Julio MEUNIER curante, apparatus, Bruxellis a. MDCCCCLVIII conveniet, quo etiam anno Bruxellis magna ex omnibus gentibus rerum Expositio exhibebitur.

**Vita Latina.** — Hoc nomine in lucem editi sunt commentarii qui sint veluti continuatio et amplificatio eorum quae Avennione prolata sunt atque proposita. Optimis typis chartaque excusi, magna ex parte Latino sermone exarati (sed et Gallico, Hispanico, cet.), praebent commentationes de rebus in primis quae ad rationem et viam linguae Latinae tradendae spectant. Commentarios aperit Joannes CAPELLE, in eisque allaborarunt J. JIMENEZ, C. M. F., G. BONNET, M. LEFAURE, HUON de PENANSTER, J. EBERLE, E. BELTRAN C. M. F., senator TOSATTI, L. BRUM-LALOIRE. Omnes scriptiunculae XLIII pagellis continentur. Optima et plausu digna quae in his commentariis legas; non omnibus tamen placebit commentatio cui est index *Remarques en marge du congrès de accommodanda Grammatica Latina nostrae huic aetati*; optimum optatum exprimit sed via fortasse impervia, ne dicam devia, assequendum. — Ex commentatione J. CAPELLE exscribimus consilia illa delectorum virorum quorum est ea enucleare et perficere quae Avennione adumbrata sunt. In consilio grammaticae accommodandae litterisque pronuntiandis conscribuntur praeter J. BAYET, praesidem, clari viri BURK, HAURY, SINANOGLU, PERRENOUD, PEETERS, FOHALLE, AVALLONE, spect. femina LORENZ. Consilio vocum novarum indici conficiendo praeest Senator Q. TOSATTI, cui adsunt G. PACITTI, VOLKCRINGER, MIR, AVALLONE. Consilium autem ratione et via linguae Latinae tradendae moderatur J. MEUNIER, in eoque numerantur ii delecti viri: GOODWIN BEACH, LAMARRE, WINKLER, PIQUETTE, PEETERS, FOHALLE, AVALLONE, atque spect. feminae BARBEI, LORENZ, STAUDACHER.

**Studia classica in Brasilia.** — Legentibus jucundum fore speramus quaedam de studiorum classicorum fati apud Brasilienses cognoscere. Quod libenter faciam verbis cl. v. SILVII PEREIRA, Brasiliensis, linguae Latinae cultoris studiosi, qui haec de re scripsit:

«De classicis studiis apud nos, nunc te certiore facio. Studia humaniora fiunt in *Colégio Pedro II*, ceteris exemplo, atque in collegiis *equiparados* vel *reconhecidos*, qui dicuntur. Horum studiorum curriculum in duos ordines digeritur, quorum alter, qui *curso ginásial* appellatur, quattuor classes complectitur; alter ordo, tres classes complectens, *curso clássico* vocatur. Juvenes vero qui medicinam aut architecturam aut machinalem scientiam profiteri instituerunt, *curso científico* qui dicitur capessunt.

Pueruli, scholis primariis egressi et periculo probati, in *curso ginásial* admittuntur in quo primis linguae Latinae elementis imbuuntur. Phaedri fabulae, in tertia, et Caesaris Commentarii, in quarta classe, eis proponuntur. — Studiis *curso ginásial* absolutis, adolescentes in *curso clássico* accedunt, qui tres classes complectitur, atque in eo sermone Latino tres per horas singulis hebdomadis operam dant. Discipulis licitum est linguam Graecam aut non discere; his scriptores assignati sunt Cicero et Vergilius in prima classe secundaque. Horatius atque Ovi-

dius in tertia. —Curriculo horum studiorum peracto, juvenes, periculis feliciter factis, apti sunt ad philosophicam facultatem adeundam (sunt quinquaginta circiter in Brasilia), in qua Latinitatis curriculum spatio quattuor annorum perficitur. Discipulis, tertium post annum, titulus *Bacharel*, et post quartum titulus *Licenciado* conceduntur. —Non sunt multi illi qui, apud nos, se litteris Latinis tradant; plerique juvenes recentiores linguas colere malunt, aut mathematicam aut physicam aut chymiam linguae Latinae anteponunt. Quamquam viri doctissimi apud nos sunt, inter quos P. Augustus Magne noster excellit, nobis desunt non solum Societates quae Latinitatis aut Romanarum rerum cultum foveant, sed etiam commentarii ut *Latinitas* aut *PAE- LAESTRA LATINA*, qui tanta beneficia nobis Latinae linguae amicis, deferunt deferentque.

**Consociationes studiis classicis in Anglia fovendis:** Plures consociationes apud Anglos studia classica summa industria ac diligentia provehunt, quarum primam recensemus: «*The Society for the promotion of Hellenic Studies*», anno MDCCCLXVIII condita, quae commentarios edit quibus est index «*The Journal of Hellenic Studies*». Altera consociatio quae appellatur «*The Society for the promotion of Roman Studies*», anno MDCCCCX creata est ad pervestiganda ea omnia quae ad Italicam et Imperii Romani archaeologiam, historiam, artem pertinent, usque ad annum DCC p. Ch. n. Evulgat commentarios «*The Journal of Roman Studies*». Tertia «*Institute of Classical Studies*» nuncupatur et condita est anno MDCCCCLIII ad studia classica in Anglia et ubique terrarum promovenda. «*The Classical Association*» quae nunc plus quam MMDCCLXIII socios complectitur anno MDCCCIII condita est. Studet omnium animos impellere ut studia classica in pueris instituendis maximi faciant atque valide repetant; rationem ac viam linguis classicis tradendis meliorem et efficaciorum reddere; efficere ut saepe magistri inter se de rebus ad disciplinas tradendas colloquantur. —Aliae sunt etiam in Anglia societates, inter quas «*The Association for the Reform of Latin Teaching*» quae commentarios edit quibus est index *Latin teaching*, «*The Virgil Society*», «*The Horatian Society*», «*The Wartburg Institute*», tandem «*The Orbilian Society*» quae *Acta diurna* evulgat, de qua fusius alias.

**Certamen Capitolinum VIII:** Institutum Romanis studiis provehendis ad novum prosae Latinae orationis certamen omnes omnium gentium Latini sermonis studiosos homines invitat, sperans fore ut ex nobilissimorum ingeniorum concertatione aliquid emicet, quod Quiritium majestate facundiaque sit dignum. Exitum Certaminis a. d. kal. Mai. a. MDCCCCLVIII, die Urbis natali, in Aedibus Capitolinis Romanae civitatis magister renuntiabit.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.



# COLLECTANEA

Plura dicere possumus de Consociatione cui est nomen «*Association des Classiques de l'Université de Liège*»,<sup>1</sup> cujus scribam ab actis A. GRISART omnes qui commentarios nostros legunt jam diu noverunt. Sed cum de iis aliis amplius dicere animum induxerimus, satis est placita Societatis hujus et Consociationis nationalis professorum linguae Graecae et Latinae exprimere.

## MOTIONS DE L'ASSOCIATION DES CLASSIQUES DE L'UNIVERSITÉ DE LIEGE

...*Reaffirme* que les humanités anciennes sont essentielles pour la formation générale de toutes les élites indistinctement;

*Reproouve* toute tentative de rendre grec ou latin facultatif pour l'accès d'un plus grand nombre encore de facultés universitaires ou de les éliminer ou retarder dans les trois premières années d'humanités;

*Constate* que les enfants bien doués, mais peu fortunés ne sont souvent empêchés d'entrer dans les humanités anciennes que par la crainte de ne pouvoir les prolonger en des études universitaires;

*Emet le vœu* que, pour lever cette hypothèque psychologique et sociale, les autorités responsables augmentent le nombre et l'importance des bourses ou prêts d'études aux mieux doués.

## MOTIONS DE L'ASSOCIATION NATIONALE DES PROFESSEURS DE GREC ET DE LATIN (A. N. P. G. L.)

Les professeurs de langues anciennes des enseignements supérieur et moyen officiels et libres, réunis en assemblée générale, le 14 octobre, à Bruxelles,

*Reaffirment* leur confiance dans la valeur et l'efficacité de la formation assurée dans les humanités par les cours de grec et de latin;

*Protestent* contre les projets qui viseraient à rendre le grec facultatif pour l'accès à la faculté de Droit, et le latin facultatif pour l'accès aux Facultés scientifiques.

*Emettent* le vœu que tout soit mis en oeuvre sur le plan social et psychologique pour que les humanités anciennes soient ouvertes à tous les enfants de la façon plus large et la plus effective;

*Demandent* au Ministre d'être entendus avant toute proposition de réforme de l'enseignement moyen ou supérieur qui mettrait en cause le latin ou le grec.

*Association des Classiques de l'Université de Liège* IV (1956) 124-125.

---

(1) Consociationis proposita haec sunt.

Art. 3. L'association a pour but:

- a) De promouvoir l'humanisme classique et notamment l'étude des langues anciennes;
- b) De défendre les intérêts moraux et professionnels de ses membres.

Omnes noverunt Societatem illam omnium civitatum quae litteris capitalibus U. N. E. S. C. O. appellatur, proposuisse seriem quaestionum longiorem ut quid de cultu et humanitate classica omnes omnium gentium viri sentirent, quid etiam de ejusdem cultus momento et praestantia hac nostra aetate opinarentur, investigaret. Nomine *humanismi classici*, videntur significari omnes cultus, non solum Graecus et Latinus, qui apud singulas gentes classici habentur cujuscumque sunt gentis et nationis et linguae. Clarus vir J. MAROUZEAU his de rebus quaedam scripsit digna, ut opinor, quae ab omnibus cognoscantur:

Sur ce point, il serait hors de propos d'engager ici le débat, mais la plupart des «Occidentaux» que nous sommes estimant, au risque d'être incriminés de particularisme et d'une sorte de nationalisme européen, que la culture gréco-latine, mise en regard des quelques vingt civilisations qui se sont partagé le monde, s'est distinguée par un caractère de stabilité et de perfectivité qui à lui seul est une garantie de valeur, qu'elle a connu des éclipses, mais non les stagnations, déviations ou déclin qui ont stérilisé la plupart des autres, au point que tout progrès dans le monde s'est accompli par recours plus ou moins avoué à notre culture, même de la part de nations de culture jalousement aberrante.

Il serait vain aussi de s'attacher ici à définir une fois de plus le contenu de ce que nous appelons cet humanisme nôtre; sur ce point, l'accord se fait assez aisément. Une précaution est peut-être cependant nécessaire. La révérence légitime qu'on professe pour les manifestations antiques de la culture gréco-latine conduit parfois, paradoxalement, à s'en tenir à elles pour définir l'humanisme de notre temps, d'où une attitude de conservatisme qui risque d'éterniser une sorte de querelle des anciens et des modernes. L'humanisme gréco-latin ne représente pas seulement un acquis des plus beaux temps de la Grèce et de Rome; c'est une conquête qui s'est prolongée au cours des siècles; l'humanisme classique, entendu au sens prégnant, représente non pas seulement ce qui a été réalisé par les anciens, mais ce qui, préfiguré chez eux, a pris son développement au cours des siècles, depuis le Moyen Age jusqu'au derniers aboutissants modernes; je souscrirais volontiers sur ce point à la formule qu'a proposée M. Jean Bayet au Colloque de Genève: «Notre valeur occidentale repose sur l'héritage gréco-romain, mais cet héritage a pris au cours des siècles des formes très souples, garantes de sa vitalité et de ses possibilités de fructification». Les formes les plus évoluées de la pensée moderne restent dans la ligne qu'ont tracée les anciens, et même le développement prodigieux des sciences et des techniques à l'époque actuelle représente non pas, comme semble le craindre l'U. N. E. S. C. O., une menace pour la pensée humaniste, mais, précisément, une des conquêtes que nous lui devons. «Dans une nation où la technique et la culture sont à leur place, dit André Siegfried, ces deux formes de civilisations, bien loin de s'opposer l'une à l'autre, doivent s'associer pour le plus grand bien de l'humanité»...

*Revue des Etudes Latines*, XXXIV (1957) 78-79.

Credimus legentibus utile fore quae de verbo *optimo* in dedicationibus «*Jovi Optimo Maximo*» sentiat Julius MAROUZEAU, non enim videntur omnes rem recte vereque interpretati esse. Summam commentationis illius prout in «*Études Latines*» scriptum vidimus transcribere juvat:

La traduction de OPTIMUS par «très bon» est susceptible d'induire en erreur, du fait qu'elle suggère d'attribuer à Jupiter la qualité que nous appelons bonté.

Le mot, dérivé de la racine qui exprime essentiellement l'idée de richesse, d'activité pro-

ductrice, doit être rapproché de *ops* et de ses dérivés *opulentus*, *optimas*, etc.; appliqué à Jupiter dans les textes les plus anciens, il ne contient qu'une idée d'excellence et d'éminence.

*Ops* a été le nom d'une divinité qui est connue essentiellement comme déesse de l'abondance.

L'adjectif même auquel *optimus* sert de superlatif, *bonus*, a pour signification essentielle la richesse, l'excellence, la fertilité ou la fécondité; ainsi dans la dénomination de la *Bona dea*, qui n'est pas plus la «bonne déesse» que Jupiter n'est «le très bon».

Le sens de «bienveillant, doué de bonté» semble avoir appartenu anciennement à *manus* ou *manis*, qui a fourni le nom des dieux *Manes* les Bons, ainsi nommés par antiphrase.

Il est possible que la disparition de ce mot ait déterminé une sorte de supplétivité de *bonus*, qui s'est trouvé peu à peu incliné vers le sens de «doué de bonté»; sens très rarement attesté pendant tout le cours de l'époque républicaine, puis progressivement adopté et trouvant sa plus grande extension à l'avènement du christianisme, qui fait de cette qualité l'apanage éminent du Dieu nouveau.

*Revue des Etudes Latines*, XXXIV (1957) 41

Etsi Congressus Avennicus linguae Latinae vivae reddendae procul a nobis esse videatur, juvat quaedam afferre quae cl. v. ALBERTUS ALBERTINI nuper scripsit in commentariis quibus est index DOSSENA. Breviter ibi colliguntur proposita et optata non modo eorum qui Avennionem convenerunt, sed etiam omnium qui «Babelicam» linguarum confusionem maerent et horrent:

E ora veniamo alla conclusione.

La società moderna sente l'opportunità, anzi il bisogno di una lingua veramente internazionale; a un vasto ed eletto ambiente internazionale; appare degno di questo ufficio solo la lingua latina; si oscilla, pare, tra due diverse impostazioni: il latino, lingua internazionale dei dotti o il latino lingua internazionale anche dei tecnici (e magari dei turisti)?

In ogni modo, e specialmente con la seconda impostazione, emergono molte difficoltà e la necessità di convenzioni precise nei riguardi:

- della pronuncia;
- dell'adozione dei neologismi;
- del problema pedagogico-didattico;
- dell'organizzazione scolastica e dei programmi.

Tuttavia, data la nobiltà dell'intento, che è quello di offrire ai popoli civili un mezzo di scambio, oltre che nel piano strettamente culturale, anche su quello tecnico e in generale diciamo «pratico», anche i docenti di latino saranno lieti di collaborare più o meno direttamente. Nella tragica e precaria situazione dell'Europa d'oggi, determinatasi dopo la guerra mondiale seconda, il latino non è un fatto solo accademico e scolastico, ma culturale di alta portata e, si può dire, di politica internazionale, in quanto è il latino che può unire anche oggi come in passato l'Europa e le altre nazioni civili del mondo: il latino studiato secondo la tradizione e volto al raggiungimento di quei valori perenni che nella latinità classica sono affermati e contenuti, prima di tutto, ma anche, forse, il latino piegato ad usi più comuni; sarà sempre un mezzo che potrà mantenere più amici tra loro i popoli, potrà concorrere a determinare una maggiore simpatia tra tutti, e non solo a ravvivare gli scambi tra dotti; se l'uso del latino potrà contribuire a questo, tutti i docenti di latino dai professori universitari a quelli medi, saranno lieti di dare la propria collaborazione, il proprio contributo di lavoro e d'entusiasmo, perché usare il latino sarebbe in sostanza, dopo tanto odio, dire una parola di amore agli altri popoli.

Collegit JACOBUS SIDERA, C. M. F.

# BIBLIOGRAPHIA

L. MASCIALINO. — *LICOFRON, Alejandra*. Edic. Alma Mater, Barcelona, 1956. · Pag. LIV · 88 duplic.

Collectio Hispanica scriptorum Graecorum et Latinorum sub auspiciis Universitatum Hispanicarum novo locupletatur volumine in quo redditur hispanice textus obscuri ac difficilis poematis Lycophronis cui index «Alejandra» optime recognitus et interpretatus a Laurentio Mascialino Universitatis Bonaërensis professore. Introductio XI · XLVIII pg. continetur, ubi de vita disseritur et operibus, in primis vero de poemate quod unum ad nos integrum pervenit, Alexandra nempe, quodque 1474 trimetris constat. Poëma, ut ait Interpres, est fabula quaedam a custode Alexandrae Priamo narrata: 1-3<sup>o</sup>, proemium custodis. Oracula amplissimas res complectuntur: primum excidium Trojae memoratur et secunda eaque imminens ruina, virorum Trojanorum caedes Trojanarumque mulierum calamitates praenuntiantur; errores et aerumnae Graecorum domum, finito bello, redeuntium praevidentur, necnon naufragia quoque ex illis plurimorum, labores et Achaeorum et Trojanorum per dissitas exterorum plagas (fusa enim narratur Ulyssis periplus et perrara Aeneae navigatio); causae memorantur veteris inter Orientis et Occidentis gentes invidiae; et denique absolvitur poemata utriusque continentis conciliatione.

Interpres quoque ad artificiosam poematis constructionem studium confert; Alexandram et Cassandram homericam unam eandemque esse contendit; agit etiam de tempore compositionis, de fontibus eorumque indole oraculari et mythica, de lingua ac stilo, et in primis de Lycophronis illa in dicendo obscuritate; de vocabularii difficultatibus, de incomposita syntaxi, de metrica, de ejus congruentia cum aliis vatis hellenisticis, deque in litteris Latinis et recentioribus auctoritate.

Denique interpres optimis codicibus Alexandrae operam confert; brevi bibliographia

editionum et lucubrationum monographicarum cum indice nominum opus finitur.

Nemo est qui infletur industriam et dexteritatem interpretis qui, vel in obscuro ac difficili Lycophronis dicendi genere, poetam hellenisticum Hispanicae linguae civitate eleganter donavit.

M. MOLINA, C. M. F.

MARIA SACCHETTI FERMI. — *T. LIVIO, Ab Urbe condita*, L. XXX — Ausonia, Roma.

LYDIA PEDROLI. — *M. T. CICERONIS, De Provinciis consularibus*. — Ausonia, Roma.

*Ab Urbe condita*, liber XXX pro scholis commentariis et notulis a M. Sacchetti expositus et illustratus, luculenta introductione ornatur qua de historiographia Graeca et Romana usque ad Titum Livium, de ejus vita et operibus et in primis de libro XXX historiae scite agitur. Perutili alumnis appendice liber finitur, ubi paucis absolvitur quidquid textui lucem afferre potest in his quae ad res et institutiones militares attinent, ad exercitum et militem Romanum, delectus habendos, legionem, agmen, castra, signa, arma, vestem, praemia, poenae, oppugnationem arcium atque expugnationem, classem. In fine libri indice continentur nomina et res notatu digna, locis, qui in textu exstant, numerorum ope significatis.

*De Provinciis consularibus*. Nonnullis primum de Ciceronis vita praemissis (VII · X) alumnos commentatrix brevi introductione historica donat, ut ipsi propositum et sententiam oratoris Romani assequi possint de agitissima provinciarum consularium quaestione in illis temporum et institutionum adjunctis. Commentatrici laudi meritoque facile tribuimus quod, expositione historica finita, originem vocis «provinciae» aliorumque id genus vocabulorum «etymologice» explicuerit.

Uterque liber textum accurate et castigate vulgatum habet, commentariis et notitiis historicis, grammaticis, stilisticis collustratum.

Quo et magistris et alumnis commendamus, ut Scipionem Africanum de Carthaginiensibus triumphantem commode insequantur.

M. MOLINA, C. M. F.

L. ALONSO SCHÖKEL, S. I. — *La Formación del Estilo*. (3.<sup>a</sup> ed.); libro del alumno (1.<sup>a</sup> ed.).

Hic pro alumnis liber est retractatio illius cui index «La Formación del Estilo» quique liber omnium plausu in scholis fuit exceptus. Quo P. Schökel, ut opus alumnis commodius utiliusque esset, tribus tantum praecipuis generibus litterariis sese accingens: descriptioni, narrationi, modo exprimentis cogitata, cetera primae editionis praetermisit; fusius contra pertractavit quod ipse «fundamentum litterarium» appellaverat, plura exempla ex scriptoribus excerpta addens, quorum pars ab ipso perpenditur et explicatur, pars vero alumnorum relinquitur iudicio.

Omisit clarus professor «Fundamentum scientificum» primae editionis, praecepta tantum necessario tradere contendens plurimis scriptorum exemplis; quo id est assecutus alumnus non deterreri conceptibus et notionibus quae forsitan trionum mentem superent quaeque a magistris discipulis pro eorum captu sint tradendae.

Quispiam autem criticus desideret, eo quod ad utilitatem et commodum attineat, in editione eis dicata, exercitationum specimina ab aliis alumnis sive perbene sive perperam exarata, quaeque examini ac iudicio subjecta nemo infitabitur ad acuendum puerorum stilum magnopere prodesse.

Tamen opus semper communi omnium sententiae videbitur non certe unus ex illis siccis tritisque praeceptorum libris, sed via nova, ampla, bene strata, qua alumni in tria praecipua stili genera ingredi commode tuteque possint, praesertim cum omne praeceptum vel explicatio stilistica exemplis optimorum scriptorum Hispanorum confirmetur et illustretur, quorumque assiduo studio alumnus non poterit non stilum proprium sibi conformare.

M. MARÍN PEÑA. — *Instituciones Militares Romanas*. Vol. II de la «Enciclopedia Clásica», Consejo Superior de Investigaciones Científicas, Madrid, 1956, 511 pg.

Voluminum conscriptio quibus constare debet «Encyclopaedia Classica» quam dicunt, peritissimis in unaquaque disciplina viris concredita est. Itaque volumen Institutionum Militarium apud Romanos studiosis offertur a professore Marín Peña, qui primus apud Hispanos aggressus est operam revocandi res veterum Romanorum militares ad justam nostrae aetatis disciplinam.

Duae partes libri exstant, quarum in prima eaque ordine chronologico exarata investigatur quo pacto res et institutiones militares Romanorum variis temporibus et adjunctis profecerint. En capitum index: I - Aetas primaeva. II - Manipulus creatur. III - Bellorum Punicorum aetas. IV - Restitutio Mariana quam vocant. V - Aetas Pompeji et Caesaris. VI - Nova Augusti instituta. VII - Exercitus post Augusti mortem.

In altera parte res in species digeruntur, quarum videlicet capita: VIII - Suprema Imperia. IX - Imperia inferiora. X - Exercitus constitutio, ordinatio, copiae. XI - Servitii militaris condiciones. XII - Disciplina. XIII - Praesidia Urbis custodiendae. XIV - Agminis ad pugnam dispositio. XV - Ratio ac modus proeliandi. XVI - Itinera. XVII - Fluminum trajectio. XVIII - Castra. XIX - Equitatus. XX - Commeatus et valetudinis cura. XXI - Signa militaria. XXII - Arma et impedimenta. XXIII - Ars oppida et arces obsidendi. XXIV - Limes. XXV - Ars imperatoria et civilis scientia. XXVI - Res nauticae.

Meritum operis et momentum nemini latebit si perpendatur quanto in arduo labore professori Marín Peña obstiterint impedimenta: *Inopia testimoniorum*, nam nonnullis temporibus fidi testes non inveniuntur, vel et scriptores ipsi rerum militarium periti, ut Caesar, eas omnibus vulgo cognitae putant; *difficultas in testimoniis utendis*, eo quod ratione et ordine vel temporibus non respondentia vel non accurata maneant ut ex Vegetio, Ammiano, aliisque rei militaris scriptoribus patet; *recentiorum fontium copia*, cum investigationes et notitiae in monographiis, commentariis, ephemeridibus admodum varii et diversi generis dispersitae inventiantur. Tamen has difficultates superasse videtur clarus Professor qui nobis doctrinam praebuit amplissima erudi-

tionem refertam, alienis studiis et investigationibus recentissimis confirmatam, accurata methodo ac ratione scientifica dispositam et explanatam.

Quibus librum consulere opus sit, paragraphorum numeratio et index materiarum perutilis erit; quibus vero penitentiorem rerum cognitionem quaerant, haud parvo commodo erit bibliographia generalis (XIII-XV) et specialis quae unicuique capitum praeponitur.

Magis nobis liber arrideret si plures rerum imagines et picturae essent, nam quaedam nostris temporibus aliena, facilius meliusque conspecta comprehenderentur.

Magister cui necesse sit alumnis in scholis de re militari nonnullum scriptorum locum declarare, confitebitur hunc librum manuales, quidquid investigare velit, commode praebere.

M. MOLINA, C. M. F.

A. P. GARNIER. — *Dans l'ombre de Virgile*. Poème. Paris, Garnier, 6, rue des Saints-Pères, 1955.

Hoc lepidum carmen multis aliis ejusdem praeclaris vatis Gallici, modo adjungitur. Cui quidem quasi classicus color et tenor non desunt; facile nempe Vergiliana vox commo-  
datur:

«Hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori,  
Hic nemus...»

«Lentus in umbra», et poeta A. P. Garnier naturae amicitiaeque amores, calido, fluidoque versu decantat...; usque dum, animo vatis sedato, et alia Vergiliana vox percipitur; «Claudite jam rivos, pueri, sat prata biberunt».

Libellus pulcherrimus typographica arte admodum 42 pagellis constat, quae uno tanquam halitu perleguntur, quaeque veram poësim imo cordi inserendam spirant.

R. POMEAU. — *Beaumarchais, L'homme et l'oeuvre*, Hatier-Boivin, Paris, 1956, 206 pag.

En aliud tibi opusculum, quod numero 47 inscribitur in nobili «Collectione Connaissance des Lettres». In duas partes commode dividitur atque hic inde sex capita, hac vero ratione: Pars prima: I. Beaumarchais contre Gozman (pp. 34-46); IV. Les aventures de M. de Ronac (pp. 47-57); V. Une décade

trionphale (pp. 58-80); VI. Le déclin (pp. 81-100).

Secunda pars: I. Les *Mémoires à consulter* (pp. 102-119); II. Le «genre dramatique sérieux» (pp. 120-131); III. Les parades (pp. 132-137); IV. «Le barbier de Séville» (pp. 138-155); V. «Le Mariage de Figaro» (pp. 156-182); VI. «Tarare et la Mère coupable» (pp. 183-192).

Quod initio libri, ita et in ejusdem fine (pp. 193-200) praeclarus scriptor R. Pomeau opus litterarium et vitam cl. viri Beaumarchais facili calamo documentorumque copia defendere intendit; totumque opus librorum recensione (pp. 201-206) luculenter completur.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

CAROLUS EGGER, — *Lexicon nominum virorum et mulierum*, Societas Libraria Studium, Romae, MCLVII.

Nemo est inter Latinitatis cultores qui ignoret quanto mentis acumine, quanta sollertia, quanta linguae puritate viri illi clarissimi, qui in sede Vaticana consistant et in evulganda statutis mensibus *Latinitate* elaborant, quasi norma sint et ut specimen integrae puraeque orationis Latinae omnibus praefulgeant qui Romanorum linguam iterum vigentem cupiant.

Quorum assiduus labor non modo in edenda *Latinitate* magnopere eminent omnibusque patet, sed vel in primis in Lexicis, quae pluries in lucem prolata, maximo sunt commodo et usui tuis qui de novis rebus latine colloqui student. Lexico Antonii Bacchi, Antistitis ab Epistulis Pont. Max. ad Principes, nunc aliud adicitur utilissimum *Lexicon virorum et mulierum* a Carolo Egger, ab Epistulis Pontificis Maximi ad Principes Adjutore, c. r. l., conscriptum, quo virorum ac mulierum nomina vetera nostraque aetate inducta, latine redduntur.

Maxime commendatur liber quod nomina vulgaria ex sermone Italico, Gallico, Hispanico, Anglico, Germanico, et Slavico interdum, in Latinum sermonem transferuntur.

Illud quoque accedit quod in opere conscribendo non modo habita est ratio nominum quae lexicis et onomasticis voluminibus continentur, sed quod omni opera elaboravit hujus libri praeclarus scriptor ut nominum

veterum et recentium investigaret originem et ut rectam scribendi rationem detegeret. Quo liber non tantum scholis, bibliothecis, curtis episcopalibus, et generalibus, officiiis paroecialibus, Latinitatis cultoribus omnibus perutilis redditur, sed et viris philologis doctoribusque elata fronte proponitur, cum ad doctrinae philologicae et ad criticas praecepta sit summa diligentia exaratus. His igitur qui virorum et mulierum nomina quacumque ratione latine reddere debent, hoc utilissimum in posterum Lexicon percommode adhibebunt.

Jos. M. MIR, C. M. F.

BRUGNOLI. — *Studi Sulle «Differentiae Verborum»*. Angelo Signorelli, Editore, Roma, 1955.

Magnae eruditionis atque ingenii hoc opus, quo quidem illud honestatur Humaniorum Litterarum corpus, cui nomen: «*Studi e Saggi*» *Collana diretta da Ettore Paratore*. Quasi ab ovo praeclarus vir G. Brugnoli intendit illam exstruere, quam synonymiae artem, immo scientiam appellarem. Quaestio tota est de «*Differentiis verborum*», cui rei tractandae plurimae adhuc lacunae auctorumque haesitationes insunt.

In libri praefatione, cum operis tum scriptoris meritum, paucis verbis a claro Doctore H. Paratore, adeo de Latinis litteris bene merito, declaratur (p. 5).

Tum auctoris introductio totum voluminis cursum praefluit (pp. 7-23), digna cui tota lectoris mens intendat. Ut aptius auctor commemorat, jam Cicero (*Invent.*, 1, 22, 32, et 28, 42; *De Or.*, 1, 42) distinguit quiddam universale in genere, quasi partes complectens «*similes communiione quadam, specie autem differentes*». Commode inde lucubrationem incipit a «*Synonymis Ciceronis*» (pp. 25-37).

Accurata autem opera aliae synonymorum series, eaeque diligentissime recognitae, hoc nobis opere exhibentur: «*Inter polliceri*» ejusque conscriptionis minores (pp. 39-57); «*differentiae*» Remmio Palaemoni et Suetonio adscriptae (pp. 59-94); collectio Palaemoniana (pp. 95-118); series Valerio Probo adscripta (pp. 119-129); «*Inter aptum et utile*», forsitan Isidoro Hispalensi tribuenda collectio (pp. 131-150); aliae collectiones alphabeticae (pp.

151-167), rationes quibus per alios nobis «*verborum differentiae*» traditae sunt (pp. 169-185); concordantiae (pp. 186-371); indices manuscriptorum, locorum, auctorum (pp. 375-382).

Quod in ipsa libri praefatione innuitur, maxime quidem hoc volumine culturae — quae pertinet ad provinciam litterariam infimi Imperii et ineuntis Medii aevi —, consulatur.

V. USSANI, JR. — *Studio su Valerio Flacco*. Angelo Signorelli, Editore, Roma, 1955.

Valerius Flaccus poeta Latinus, ex scriptoris hujus sententia, injuria saepius in oblivionem venit. *Argonautica* inscribitur poema, quod est de *Argonautarum* expeditione, idque ad nos usque, etsi valde imperfectum, manuscriptorum ope pervenit. Clarus vir V. Ussani maximam adhibet curam, ut poema atque poetam in veram aestimationem apud Latinitatis cultores veniant.

Brevi praefatione de proposito scriptoris praemissa, totum in tres partes opus disperitur: I. Quo tempore «*Argonautica*» sunt scripta (pp. 7-34). II. Quo tempore prooemium *Argonauticon* sit exaratum (pp. 35-82). III. Prooemium *Argonauticon* cum aliis poetarum Latinorum prooemiis confertur (pp. 83-125).

Indices opus coronant: locorum (pp. 129-144); auctorum recentium (pp. 145-146). Hunc accuratum librum de Valerio Flacco alii quoque de eodem poeta brevi consequentur; quod maxime Latinis litteris excolendis atque vulgandis conferet.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

G. FERIR. — *Comment étudier*. Maison d'Éditions Ad. Wesmael-Charlier, Namur, 1955.

Opusculum hoc his fere quaestionibus respondet: Quenam est quasi studii clavis; quo modo in studio et doctrina festinanter recteque laborandum; quo modo aptandum est argumentum quoddam scientificum vel litterarium; qua ratione legendum maximo commodo et emolumento; quo modo sese discipulus accinget ad interrogationem vel ad orale periculum subeundum; quo modo vero prima in schola aucupabitur; quo modo sine magistri ope seu adminiculo litteris vacandum; quo

modo acuenda est alumni memoria, ea etsi mediocris sit; quo modo hic cursus metam prospere consequetur; quo modo tandem in variis litterarum, disciplinarum, linguarumque provinciis studio est vacandum.

Clarus scriptor G. Ferir, nitidus quidem in dicendo, commodum, idque vel maximum, alumnis eo libello adfert, qui quasi uno tractu totus lectione, saepe maxime grata, percurritur.

DANIEL MORNET. — *Comment préparer et rédiger une dissertation pour la licence ès lettres.* Boivin, 5, rue Palatine, Paris.

Primum hoc volumen est nobilis illius corporis «Le Livre de l'Étudiant», a praeclaro viro Paulo Hazard conditi. Propositum vero scriptoris D. Mornet, in Universitate Sorbonensi professoris, ex ipsa libri inscriptione plane ostenditur: quod quidem ratione et via commode in usum ab scriptore ducitur. Parvae molis liber, magni autem aestimandus.

Quattuor admodum partibus res tota absolvitur: I Praeparatio auctorum et «Quaestionum» (pp. 5-40). Primum de praeparatione generali, tum de praeparatione speciali auctorum vel quaestionum. II. Notionum seu sententiarum investigatio ad dissertationem spectantium (pp. 41-75); ubi de cognoscendo penitus argumento proposito agitur et de dijudicanda ejus intima praestantia. III. De sententiarum ordine seu de compositione (pp. 77-103). His vero gradibus clarus professor procedit: Compositione logica: compositione per «hierarchiam»; compositione aethetica, aliis compositionis formis. IV De stilo (pp. 105-123) Non nulla denique delibantur de expedita agendi celeritate scriptoris, de motu atque de colore operis litterarii.

Haud certe agitur de libro singulatim ad stilum conformandum; liber tamen, ni multum fallimur, magnos afferet usus ad scriptoris rhetorisque absolutam de re institutionem atque culturam.

GIOMINI. — *Saggio sulla «Fedra» di Seneca.* Angelo Signorelli, Editore, Roma, 1955.

Hac in lucubratione clarus vir R. Giomini, quasdam quaestiones explicare sibi proposuit, quae ad tragoediam «Phaedram», spectant,

quae ex optimis Senecae tragoediis habetur. Ratione autem critica, quidquid ad rem referri videatur, ibi lector reperiet.

Dehinc qui poëtam Cordubensem apprime callere velint, in hoc opusculo — ex ipsa clari Professoris H. Paratore sententia, qui quidem libri praefationem scribit —, quasi fundamentum futurarum investigationum invenient. Primum generales de tragoedia «Phaedra» quaestiones ab auctore proponuntur (pp. 7-14); tum fontes ejusdem ad imum recognoscuntur (pp. 15-34); denique quinque tragoediae actus cum quattuor choris uno tenore explicantur (pp. 35-108). Neque indices lectoribus maxime utiles desunt: locorum (pp. 111-120); auctorum recentium (pp. 121-122). Perpolita paucis verbis «monographia», qua scriptor se Senecam poëtam investigasse plane ostendit.

I. GONZALEZ, C. M. F.

F. PEETERS. — *Quelques beaux vers d'Ovide.* Office de publicité, J. Lebègue et Cie, Éditeurs. 36, rue Neuve, Bruxelles

Ex ipso libelli indice scriptoris propositum ostenditur Lectio studiumque operum Ovidii maximo opere Latinitatis studiosis commendantur eruntque commendanda. Quod perbelle ex hoc scito libello eruitur. Plus mille hic versibus egregii vatis Latini a claro Professore F. Peeters apte adhibentur multisque notis explicantur.

In praefatione nonnulla de poëta Ovidio ejusdemque operibus delibantur (pp. 5-7). In introductione, sententiis densa, agitur de Ovidii vita, de Ovidii operibus, de Ovidii ingenio, de Ovidii apud alios vi et auctoritate, de textu operum Ovidii (pp. 8-39).

Selecta consequitur textuum collectio cum commentariis: «Janitor, indignum, dura»...; «Quid mihi, livor edax»... «Psittacus, Eois Imitatrix»...; «Memnona si mater»...; «Parve, nec invidio»...; «Cum subit illius»...; Ille ego qui fuerim»...; «Verba mihi desunt»...; (pp. 40-106). Tum index nominum (pp. 107-109), bibliographia (pp. 110-120), rerum index (pp. 121-123).

In libris recensendis commendantur lectiones, quae totam fere poëtae personam complent et perstringunt: De Ovidio amorum poëta, epistularum scriptore, naturae poëta, didactico



mythorum scriptore, poëta religioso et patriae studioso, morum poëta, litterarum existimato- re, poëta amicitiae et inimicitiae... Liber Latinitatis magistris alumnisque commodo abs dubio erit.

C. JULIUS CAESAR. — *De Bello Gallico*. Extraits. Texte commenté par J. Ruelens. Maison d'Éditions Ad. Wesmael Charlier, Namur, 1956

Haec anthologica non nulla *de Bello Gallico* capita promunt quae, praeter praecipua in Belgio proelta, referunt Gallorum et Germanorum mores, una cum Rheni fluminis transitu et prima per Britanniam expeditione.

Potius quam grammaticalis textus, sunt fere omnes explicationes artis militaris J. Caesaris, quae ars militaris miro modo a praeclaro viro J. Ruelens ante alumnorum oculos ponitur. Auctoris propositum in praefatione (pp. III-IV) itiquido patet. Consequitur bibliographia (pp. V-VI); tum synoptica historicorum eventorum tabella (pp. VIII-X); opus Caesaris historicum, compositio et ordo exercitus cum aliquibus pictis tabulis (pp. XI-XXVI); exercitus Gallicus (p. XXVII) cum Caesar Belgium advenit (pp. XXVIII-XXXI).

Commentaria dein de Bello Gallico consequuntur cum multis, itisque scitis, notulis ab auctore rite dispositis, quae lectoris mentem suaviter allicitant (pp. 1-125). Tota libri interna externaque dispositio, maxime alumnis Latinarum litterarum commendatur. Geographicae tabellae hinc inde delineationesque in libello prostant, textus vero Latinus valde accuratus.

C. JULIUS CAESAR. — *Der Buergerkrieg*. Lateinisch-deutsch ed. GEORG DORMINGER. ERNST Heimeran Verlag, Muenchen, 1957.

Textus in primis Latinus una cum Germanica conversione totum fere hoc volumen complet, aliud ad «Tusculum» ornandam bibliothecam de Latinis litteris adeo bene meritam. Textus *de Bello Civili*, cui perspicua a praeclaro viro G. Dorminger exarata translatio Germanica adjungitur, a pagella 6 ad 293 usque toto quidem typographico nitore decurrit.

Reliquum operis indice seu potius appendice locupletatur, ubi historia, ars critica, chronologia, bibliographia de re acuto scriptoris ingenio perstringuntur. Conspectum initio de legum historia antiquarum habes: lex Vatinia, lex Trebonia, lex Pompeja Licinia, lex Sempronia, lex Pompeja de provinciis, lex Pompeja de jure magistratuum (pp. 294 - 296). Perpauca innuuntur de operis unitate, de stilo, de lingua (p. 298). Tum bibliographia et codicum conspectus lectoribus proponitur (pp. 299 - 301). Declarationes vel textus explicationes numero 158 consequuntur (pp. 302 - 309). Nomenclatura tandem vel nominum indice (pp. 309 - 322), atque chronologica tabula (pp. 322 - 324) totum opus finitur.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

ANTIDORON *Hugoni Henrico Paoli oblatum*. Miscellanea philologica. Università di Genova, Facoltà di lettere. Istituto di Filologia classica, 1956.

Inter ceteras Instituti Philologiae classicae editiones, haec praeclarissimo viro Hugoni Henrico Paoli oblata octava numero habetur: volumen scitum Latinitatis cultoribus maxime commendandum, ex quaestionum abundantia auctorumque erudito ingenio.

En vero tibi et auctorum et lucubrationum index. H. H. Paoli: *Ad Collegas Januenses* (pp. 11-12); M. Bonaria: *Ugo Enrico Paoli* (pp. 13-40); L. Alfonsi: *Studi corneliani* (pp. 41-56); G. Barabino: *I «Myrmidones» di Accio* 57-72); Q. Cataudella: *Arist. Plut. 566* (pp. 73-76); T. Coco: *Frammento di stoffa antica* (pp. 77-81); F. della Corte: *Suspiciones II* (pp. 82-95); P. Frassinetti: *Pacuviana* (69-123); M. F. Galiano: *Sobre un proyecto de transliteración del griego clásico* (pp. 124-136); F. Grosso: *La morte di Tito* (pp. 137-162); J. Huergod: *Plaute, Mercator, vv. 16-17* (pp. 163-167); G. Lanata: *La poetica dei poeti lirici arcaici* (pp. 163-182); V. Longo: *Un'interpretazione di Omero* (pp. 183-203); T. Mantero: *Sall. Bell. Jug., 93-94* (pp. 204-226); A. Forti Messima: *δημος in alcuni lirici* (pp. 227-241); C. Nardi: *Reminiscenze pindariche in Virgilio* (pp. 243-249); A. Pastorino: *L'«epostracismo» in Minucio Felice* (pp. 250-261); V. Pisani: *Lat. nummus* (pp. 262-264); N. Sacerdoti: *E pitagorica la concezione*

dell'età dell'oro? (pp. 265 - 273); G. Scarpat: *Dell'aggettivo* (pp. 274 - 279); G. Tibiletti: *Un ragionamento di Antonius Volscus* (pp. 280 - 282); A. Traversa: *L'iscrizione metrica per Felice* (pp. 283 - 322); C. Gallavotti: *Postilla alla nuova epigrafe alessandrina* (pp. 323 - 324); M. Unterteiner: *Problemi senofanei* (pp. 325 - 353).

CATULL — *Lateinisch - deutsch*. Ed. Werner EISENHUT Ernst Heimeran Verlag, Muenchen, 1956.

Totum poëticum opus Catullianum hoc in lepido volumine bibliothecae cui nomen est «Tusculum», colligitur, cura clarī viri W. Eisenhut in Germanicam linguam conversum atque pluribus iisque commodis explicationibus decoratum. Primum Latinus textus cum accurata translatione (pp. 6 - 193). Tum non nullae minutarum litterarum paginae explicationibus, in legentium commodum, concreditae (pp. 194 - 217). Deinde notitia de poëta atque poësi Catulliana, de fragmentis, de lingua (pp. 217 - 228). Tandem de bibliographia (pp. 229 - 233), de arte metrica in poëta Catullo (pp. 233 - 237), de nomenclatura (pp. 238 - 242). Liber certe commodus usu evadit, ex indice carminum alphabetica ratione iuxta eorum vero initium (pp. 243 - 246).

OID. — *Briefe der Leidenschaft Heroides*. Im Urtext mit deutscher Uebertragung herausgegeben von Wolfgang GERLACH. Ernst Heimeran Verlag, Muenchen.

Opus Ovidianum *Heroides* una cum Germanica conversione a praeclaro Professore W. Gerlach exarata in hoc volumine habent litterarum Latinarum cultores atque studiosi. En tibi voluminis cursus: Penelope Ulixi (pp. 6 - 14); Phyllis Demophoonti (pp. 14 - 26); Briseis Achilli (pp. 26 - 38); Phaedra Hippolyto (pp. 38 - 51); Oenone Paridi (pp. 52 - 64); Hypsipyle Jasoni (pp. 64 - 76); Dido Aeneae (pp. 76 - 91); Hermione Oresti (92 - 100); Dejanira Herculi (pp. 100 - 114); Ariadne Theseo (pp. 114 - 125); Canace Macareo (pp. 126 - 136); Medea Jasoni (pp. 136 - 152); Laodamia Proteusilaio (pp. 152 - 165); Hypermetra Lynceo (pp. 166 - 173); Sappho Phaonti (pp. 174 - 190); Paris Helenae (pp. 190 - 220); Helene Paridi

(pp. 220 - 240); Leander Heroni (pp. 240 - 258); Hero Leandro (pp. 258 - 274); Acontius Cydippae (pp. 274 - 295); Cydippe Acontio (pp. 296 - 314).

Non nullis de historia antiqua et Mythologia notitiis opus apte finitur (pp. 316 - 331).

F. ARNALDI. — *Antologia della Poesia Latina*. Volume primo: *Da Nevio a Propertio*. Istituto Editoriale del Mezzogiorno. Via Costantinopoli, 3, Napoli.

Hoc volumen Anthologica poëtica Latina complectitur. In eo vero denso libro selecta colliguntur carmina classicorum Latinorum, qui a Naevio ad Propertium usque in historiae litterarum cursu decurrunt. Uni cuique selectionum etiam selectae notulae praeunt, a clarissimo viro F. Arnaldi exaratae.

In erudita introductione (pp. 7 - 13) propositum facile auctoris detegitur in his parandis selectis carminibus Latinis. Selectioni Plautiniana dicantur pagellae 15 - 89. Breviuscula de Ennio poëta consequuntur (pp. 90 - 96). Tum de Terentio a pagella 97 ad 170. Inde Lucretius exponitur (pp. 171 - 244). Praecipui jam Catulli versus delibandi proponuntur (pp. 245 - 314). Latinorum vatum facile principii, Vergilio, uberrima adhibetur collectio (pp. 315 - 443). Et Venusino studium copiosius ac penitius dicatur (pp. 444 - 610). Tibullus (pp. 611 - 627) et Propertius poëtae (pp. 628 - 681) primum hoc volumen claudunt.

Liber hic densus, typographica arte decorus, innumeris fere notulis explicationum refertus, maxime Latinitatis cultoribus commendatur. Tanquam brevem bibliothecam totius poëseos Latinae classicorum scriptorum hoc opus, ni multum fallor, aestimandum atque habendum.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

M. BONARIA. — *Mimorum Romanorum Fragmenta. Fasciculus posterior. Fasti mimici et pantomimici*. Istituto di Filologia Classica. Università di Genova, Facoltà di Lettere, 1956.

Institutum Philologiae Classicae Genuense hac alia decoratur editione, quam collegit, disposuit, recensuit clarus vir M. Bonaria,

cujus est etiam volumen V in operibus Instituti: «Mimorum Romanorum Fragmenta. Accedunt fasti mimici et pantomimici (Fasc. I et II)». Exinde volumen hoc fasciculus posterior de re habendus est.

Tanquam operis cursus in praefatione clarus scriptor tenorem significat hac ratione: «In primis sunt testimonia quae nos docent de Floralibus ludis, de actoribus et scriptoribus mimicis, de nominibus scaenicis, vestibus, theatro ejusque partibus. Deinde sunt «Fasti» qui dicuntur, ubi secundum temporum ordinem leguntur quae ab antiquis sunt a saeculo IV<sup>o</sup> de mimo et pantomimo Romanorum... Tertio loco sunt tria capita ubi leguntur a testimonia quae mimicis pantomimisque certe tribui possunt sed incertae aetatis, b) testimonia spuria».

Hoc maxime opus eruditionis, quod et Latinitatis magistri certe laudabunt, curiosoque animo perlustrabunt. Vera de re monographia, quam necesse adire in posterum habebunt scriptores, qui de re conscribere eamque callere cupient. Conspectum autem librorum et conspectum codicum hic non adhibet auctor, qui lectorem ad fasciculum priorem revocat.

G. STÉGEN. — *Commentaire sur Cinq Bucoliques de Virgile — 3, 6, 8, 9, 10 — suivi d'une vue d'ensemble sur tout le recueil*. Maison d'Éditions Ad. Wesmael-Charlier, S. A. Namur, 1957.

Jam ex ipsa libri inscriptione propositum clari viri G. Stégen dignoscitur, in eo conscribendo. Tanquam consecutio alius libri est, cui titulus *Étude sur cinq Bucoliques* (Namur, Wesmael-Charlier, 1955), ab eodem scriptore exarati. Tria vero capita, de tertia, nona, decima egloga, edita jam fuerunt in commentariis *Les Études Classiques* (XX, 1952, p. 345-357; XXI, 1953, p. 331-342) et *Latomus* (XII, 1953, p. 70-76). Hic non nullae mutationes et additiones eiusdem adhibentur.

Capita autem dicata sextae et octavae eglogae, una cum capite de collectione Vergiliana in universum primum hoc opere eduntur. Eruditum admodum hoc opus, et Latinitatis magistris potius commodum, quam alumnis et incipientibus studium vatis Mantuani.

Textus historia, interna atque externa ipsius critica quasi in scriptoris manu vel calamo versatur facileque ingenium et improbus labor detegitur. Sunt admodum 155 pagellae tota typographica arte dispositae, quae ab studioso Vergilii poetae laudabuntur. Ideo lectoribus nostris hoc opus commendandum ducimus.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

M. SIMONETTI. — *Studi Agiografici*. Angelo Signorelli Editore, Roma, 1955. Pg. 132.

Haud facile particulas auri inter arenas reconditas quaerere et invenire. Haud facile verum a falsis, rem gestam a locis communibus vel fabulis commenticiis discernere. Nec facile est neque ab erroribus immune; nam saepius aut nimium proprio conceditur genio, aut res ad latiora consequentia quam propositiones requirunt, deducuntur.

Auctor veri amantissimus, quid veri in multis martyrum et martyrorum narrationibus inventiatur, perpendit. Ad obrussam extigit acta martyrii Pionii, duorum martyrum ex Pannonia, Maximae et Petrae, Andreae Pauli Dionysiique, Carpi Populi Agathonices, Phileae et Philoromi. Quorum Actorum plura locorum communium sunt plena et sententiarum quae a rei veritate aliena videntur. Quae quidem etiam in aliis actis inventiuntur quae, ut Martyrii Pollionis, ab omnibus magni fieri consueverunt. Auctor sagacitatem, existimationem recti, altam rei cognitionem demonstrat. Etiam cum argumentorum vis non plane movet neque animum plane persuadet, semper apparet quibus rationibus adductus hoc illudve auctor asserat.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.



## SCHOLARES LINGVAE LATINAE COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA

Pretium in Hispania et America: 15 pesetarum

Extra Hispaniam: 20 pesetarum

ANN. III — (FASC. III) — N. 11

M. SEPTEMBRI

A. MCMLVII

# Paedagogus adolescentibus

*Pueri, adolescentes! Nuper PAEDAGOGUS vos est hortatus ut scriptiunculas, quae in PALAESTRA ederentur, mitteretis. Id in primis feriis aestivis perficite dum corpus et animum a litterarum studiis et exercitationibus libentissime relaxatis, quae magistri toto scholarum curriculo pro muneris officio vobis praeceperunt.*

*Non pauci alumni ex Anglia et Gallia ad nos scripserunt qui socium in litteris Latinis quaerunt et simul verum amicum quocum proposita, consilia, studia, optata adolescentium per litteras communicent.*

*Estne aliquis ex vobis Hispanis, aut ex vobis Italis qui huiusmodi socium et amicum desideret cui fidenti animo sensa aperiat?*

## CERTAMEN LATINUM

*Officina Libraria E. SUBIRANA (PuertaFerrisa. 14, Barcelona), misit quoque hos libros:*

*J. VAZQUEZ DE MELLA, Filosofia de la Eucaristía*

*M. SANCHO, Recreos infantiles*

*H. DE VALTA — L. MANEGAT, Miráculos*

*H. DUPOY MAZUEL — J. VIZA, Chrestos*

*quos dono libenter misimus iis qui altero praemio in Certamine Latino sunt decorati. (Cfr. fasciculum superiorem).*

## Musculus, botulus assus, passer

Musculus, passerculus, botulus assus amicitiam quondam inierunt; qua conjuncti, rem familiarem administrantes et pace diuturna fruentes, bona in dies auxerunt. Cotidianum passerculi officium erat in silvam advolare ut lignaretur; musculi aquari, ignem accendere, mensam instruere; botuli vero cibos condire. Cum res bene procedunt, omnes ampliora concupiscunt. Quodam die passerculus iter faciens in silvam, passerem amicum offendit, cui fortunam suam narravit et quam optime res domi musculi sese haberent. Passer vero ille socium stolidum stultumque vocavit, eo quod domi musculi impensum laborem haberet. Quod si una secum in eadem domo viverent, vitam jucundissimam degerent. Nam tametsi musculus ignem accendebat et aquabatur, postea in cubiculum intrabat ut tranquille quiesceret, dum arceseretur ad mensam sternendam. Botulus vero ad focum assidens inspiciebat quomodo cibi coquerentur, et cum hora esset manducandi, cibos condiebat paululum sese in olera coquenda immittens.

Tum passerculus domum rediit, et lignorum fasce exoneratus, cum sociis mensae accubuit, et post cenam omnes in cubiculum profecti sunt. Postridie passerculus noluit ad lignandum proficisci, dixitque se nimium diu servum fuisse, ideoque mutarentur officia. Officia ergo sorte mutata sunt, et lignari botulo obvenit, coquere muri, aquam afferre passeri.

Quid accidit? Botulus profectus est ad ligna colligenda; passerculus vero igne accenso, musculus olla parata, operiebantur dum botulus a lignatione rediret. Sed cum botulus diutius extra domum moraretur, passerculus furens paululum deambulatum profectus est. Haud procul canem offendit, qui, cum putasset misellum botulum esse praedam liberam, eum venatus occidit. Passerculus vehementer canem objurgavit, velut si infandum scelus patrasset. At canis id pro nihilo duxit, sed hac excusatione usus est: se invenisse botulum falsas litteras habentem, eumque hac de causa occidisse et voravisse.

Passerculus tristis, lignis collectis, domum cum rediit, narravit musculo quae viderat et audierat, qui tristitia maxima affectus est. Quod botulus deerat, statuerunt quo modo se ab hoc infortunio expedirent et domi simul vivere pergerent. Itaque passerculus operam mensae instruendae dabat, et musculus cibo condiendo. Musculus ergo coquere coepit, ollamque subigere sicuti botulus fecerat. Igitur in olus ut condiret illapsus est, sed in mediam ollam non pervenerat, cum nimio ardore correptus, pellem, pilum, vitam amisit. Passerculus cum pervenit et cibum in mensam apponere voluit, jam coquus perierat. Ligna statim huc illuc projecit. Pipiavit, ingemuit, quaesivit, neque musculum invenit. Forte scintilla ignem in lignis excitavit; aquam de puteo situlo haurire voluit. At situlus in puteum cecidit et ipse cum situlo; quo in aquam mersus, mortem obiit.

Memor esto: «In idem fertur, qui sua sorte non contentus, prava aliorum consilia sequitur».

Barbastri.

CAROLUS LATORRE

IV Cursus alumnus - praemio in Certamine Latino ornatus

# Anaticulae villicae fabella

Quondam in villa anaticula operosissima fuit. Bene mane e lecto surgebat sumptisque ferramentis in hortum exibat. Flores, qui ubique crescerent, summa cum diligentia rigabat; qui suo modo gaudebant sic sollicitam anaticulam cum viderent. Floribus varii coloris, fasciculos, ad villae rusticae conclave exornandum, aptissime factitabat. Quodam die ubi jentavit, studiose laborare coepit; summa cura ad olera in loco horti apri-  
cissimo sata adhibenda erat. Quae dum curat, ecce anaticula vocem sibi dicentem audit: —Heus, pulcherrima anas! Sinisne me ingredi?

Illa caput erexit exultavitque plurimum, amicum cum novisset. Statim ostium adiit et, janua aperta, Petrus, cervulus omnium optimus qui in prato erant, ingressus est. Venustissimus erat, petaso enim utebatur et ex collo focile veneti coloris pendebat; uterque colloquium diu protraxit.

Papilio, qui in foro emptionem fecerat, brevissimo temporis spatio constitit ut Petrus, quem sciebat summa cum laude in aulae periculis probatum esse, gratularetur. Nuntiavit quoque anaticulae omnes in vico scire illam omnium diligentissimam esse; quam ob rem urbis magistram deligere statuerant.

—Itane vero? secum cogitavit haud facile credula anas.

—Ita sane. Et paulo post equulus, vitula, agnus, gallina cum pullis ut salutarerent anaticulam advenerunt. Anaticula, quamquam maxima modestia praedita erat, non potuit non illa comitatus officia probare et pollicita est se

effecturam ut omnes in vico beatissimi essent. Quod eventum ut celebrarent, festum diem, quo magnam sui famam relinqueret paravit. Omnibus convivis in viridario adstantibus anaticula mantilia super gramina stravit amicosque ad cenam vocavit, qui quidem non recusarunt. Anaticula vero panibus dulciariis et mero dulci, ad festa sollemnia servato, eos remunerata est.

Ita anaticulae villicae fabula finitur quae ex sua benignitate et operositate dignam tulit mercedem.

«Pueri, impigri et studiosi estote neque honores quidem vobis deerunt».

I. JIMÉNEZ, C. M. P.

Barbastris.

Vi Cursus alumnus

altero praemio in Certamine Latino decoratus



# ANULUS FALSAE SUSPICIONIS INDEX

HENRICUS  
COMES TOGGEN-  
BURGENSIS  
PULCHERRIMUM  
ANULUM NUPTIA-  
RUM DIE UXO-  
RI IDAE DO-  
NAVIT.



①

IDA, CUM QUODAM DIE  
FLORES RIGARET, ANU-  
LUM AD FENESTRAE FUL-  
CRUM EST OBLITA.



②



③

SED CORVUS  
ANULUM ABSTU-  
LIT ET IN NI-  
DUM ABSCON-  
DIT.

ET IN NIDO PUL-  
CHERRIMUM REP-  
PERIT ANULUM,  
QUI IDAE, COMI-  
TIS UXORIS FUE-  
RAT; QUIN TAMEN  
HUIUS REI IN SUS-  
PICIONEM VENIRET



④



⑤

CUM AUTEM HENRICI CO-  
MITIS SALTUARIUS NIDUM  
IN ROBORE CONSPEXISSET,  
ARBOREM, UT NIDUM OC-  
CUPARET, ASCENDIT.

⑥



... OFELIAM FILIAM  
ANULO MUNERA-  
VIT.

PAUCIS DIEBUS POST OFELIA IN DOMUM REGIAM SE CONTULIT UT FLORUM FASCICULUM IOAE OFFERRET.



7

SED UNUS E REGII PUERIS ANULUM IN MANU OFELIAE REFULGENTEM CONSPEXIT. PUELLA AD COMITEM EST ADDUCTA.



8

COMES SILVARUM CUSTODEM DAMNAVIT UT PER SAXA, QUAE CASTELLUM CINGEBANT, RAPERETUR AD VELOCISSIMUM EQUUM ALLIGATUS. - EQUUS SALTUARIUM AD ARBOREM, IN QUAE CORVI NIDUS ERAT, ADDUXIT.



9

IN HUIUS ARBORIS NIDO ANULUM INVENI.




10

OFELIA IDAM ADIT ATQUE, UT ARBOREM RECOGNOSCERET, ROGAVIT; CUM REGIOS PUEROS MISSET UT NIDUM INVESTIGARENT, INAURES ET QUOSDAM NUMMOS INVENERUNT.



11

SALTUARIUS AB IPSA COMITIS UXORE ET AB OFELIA FILIA EST SANATUS. - COMES ILLUM PROCURATOREM INSTITUIT CUIUS CONSILII UTERETUR.



12

NOLI UNQUAM SPECIE ET SUSPICIONE DUCI DE OMNIBUS SEMPER BENE EXISTIMA



# MISCENTES UTILE DULCI...

## 7. LEMMATA IMPERATORUM

AELIUS ADRIANUS obiit a. Ch. 140. Moriens usurpavit illud vulgatum: «Multi medici perdidere Regem». Mitis erat et mansuetus in cives, praesertim, ut par est, Romanos. Amicos aegrotantes non raro ipse invisit, et convivas in mensam etiam supra se locasse dicitur.

Lemma: *Non mihi, sed populo.*

ANTONIUS, cognomento PIUS, ob mitissimam indolem. Postquam rem publicam reddidit florentem, ipse interiit a. Ch. 163.

Lemma usurpavit hujus modi: *Melius servare unum, quam occidere mille.*

MARCUS AURELIUS et LUCIUS VERUS, uterque imperator et philosophus. Hi sunt, qui in Jure Justiniano passim *divi fratres* appellantur. Lucius subita apoplexia exstinguitur anno imperii secundo, cujus lemma fuit: *Nil obiter.*

Postea solus rem publicam tenuit Aurelius, qui obiit a. Ch. 182. Ejus lemma: *Regni clementia custos.*

LUCIUS AURELIUS COMMODUS, ob scelera et foris et domi exosus, strangulatur a suis a. Ch. 194.

Hoc usus est lemmate: *Pedetentim et paulatim.*

## 8. ANAGRAMMATA LATINA

Bartholomaeus: ah sol Beatorum.

Basilius: sibi laus.

Belga: gleba.

Carolus Magnus: cumulans agros.

Carolus Quintus: qui notus clarus.

Corpus: cor pus: porcus.

Captivitas: capit vitas.

Damasus: ad musas.

David: da diu.

Dote: do te.

Divitiis: id vitis.

Dominatio: admonitio.

Dominus: do minus: ni modus.

Diabolus: abi dolus.

## 9. ANTIQUI GENTIUM MORES

Apud *Persas* regi gratias agunt ii, qui ab eo flagellari jubentur, quod Rex eorum memor fuerit.

Incolae in promunturio Africae, domicilia sua ex sale efficiunt. Neque periculum illis imminet ex pluviis, quae alias vim habent resolvendi salem, quandoquidem Promunturium illud ab omni pluvia, teste Herodoto, immune est.

*Babytaceni* repertum aurum defodiebant in terram, ne ejus usu polluti corrumperent aequitatem.

PAEDAGOGUS

## RIDEANT PUERI!...

## CALLIDUS DEBITOR



10. Latro, qui ad capitis poenam trahebatur, cum tabernam vinariam vidisset, rogavit ut comitatus paululum consisteret scyphumque ex caupone quaesivit vini confacencis. Sumpsit scyphum. Quo hausto, dixit cauponi: «Si quid mihi nunc esset argenti, tibi libenter darem. Noli tamen esse nimis sollicitus Cum rediero, tibi persolvam».

Celso. JOSEPHUS M.<sup>a</sup> COMAS, C. M. F.

## VICANUS ET SIMII

11. Quidam vicanus, cum domino corbem pirorum domum deferret, in scalis simii occurrerunt, longa ornataque veste induti. Cum simii fructus vidissent festinanter in corbem irruerunt. Vicanus cum ejusmodi animalia numquam vidisset, officiose inclinato capite salutavit corbemque illis reliquit.

Cum simii pauca pira decerpissent, retro ambulaverunt ut ea ederent; tunc vicanus, corbe sumpto, dominum convenit, qui, animadvertens corbem non esse plenam, vicanium aspere interrogavit. Qui aperte respondit:

—Filli tui, domine, pira quae desunt cepe-

runt quos adhuc in scalis manducantes videas.

Omnes ingenium vicani animum laudant.  
M. Augé, C. M. F.

## FILIUS OBOEDIENS

12. Pater, aetate confectus, cum divitiis abundaret, sed summa avaritia affectus, nollet multam pecuniam in filio instituendo consumere, ut scholas adiret, illum Salmanticam duxit suadens ut parce vitam ageret. Filius cum interrogasset quanti vacca esset et perdix, alteram responderunt denariis esse trecentis, alteram tribus. Tum adolescens secum cogitavit: Cotidie perdice vescar patri gratia oboediendi.


Celso. FLORENTIUS GARCÍA, C. M. F.

13. Magister, mente sevocatus, quaerit ex discipulo in vico:

—Scisne in quo simus vico?

—Certe. Nomen ei est Carolus Primus.

—Optime. Sedere potes.




## HOROLOGIORUM ARTIFICI

13. —Nonne sentis horologium neque «ambulare» neque moveri?

## SOLUTIONES (Cfr. PALAESTRA LATINA, a. 1957, fasc. II, p. 124)

AENIGMA VERBALE. — *In transversum*: A. Dape. — B. Forpices. — C. A. Tu. P. — D. iV. Lama. iH. — E. LImi. Dona. — F. Elix. Odor. — G. XI Ater. sA. — H. A. Es. U. I. — Scoretas. — J. saeN.

*Ad perpendicularum*: 1. Ilex. — 2. Favillas. — 3. O. Mi. C. — 4. Dr. Lixa. Os. — 5. Apta. terA. — 6. Pium. Este. — 7. eC. Ador. En. — 8. E. oD. A. — 9. Spinosus. — 10. Hara. QUADRATUM MAGICUM: ovis veto iter sors



14. — AENIGMA VERBORUM

*In transversum:* A. Tabes. B. Littera. Pronomen. — C. Interjectio. Littera. — D. Ussi. Fructus putamine contectus. — E. Pronomen. Quaedam avis. Pronomen. — F. Littera. Littera. Vultus. Aisne. — G. Pastorum deus. Coniunctio. Pingue. — H. Praepositio. Leni. lens (*versis litteris*). Littera. — I. Interjectio. Ablui. Interjectio. Commoror (*versis litteris*). Coniunctio. — J. Accessi. Togae sinus. Contende. Funus. — K. Interjectio. Oppidana. Littera. — L. Quantitas quaedam. Turni soror quae dea creata est. — M. Interjectio. Genus Romanum (*gen. sing.*) — N. Littera. Coniunctio. — O. Coniunctio. Littera. — P. Sarcio.

*Ad perpendicularum:* 1. Purgo. — 2. Coniunctio. Littera. — 3. Litterae ex verbo «Diocletianus». — 4. Profunda. Quodam sue. — 5. Coniunctio. Passus sum. Virtute. — 6. Praepositio. Arbori. Littera. Littera. — 7. Instituo. Coniunctio. Tauri silvestres. Extremum corporis. — 8. Littera. Demonstrativum (*Abl.*). Madefieri. Personale. — 9. Coniunctio. Iustitia. Mors. Littera. — 10. Litterarum nota cuiusdam nominis Romani. Littera. Nummus. Visul (*pl.*). — 11. Littera. Quadam ex arbo-

ribus. Iracundia (*versis litteris*). — Usi. Coniunctio. — 13. Donis quae hospitibus dantur. Demonstrativum. — 14. Quantitas quaedam. Littera. — 15. Praepositio. Coniunctio. — 16. Mandatum.

ANTONIUS ANDRÉS, C. M. F.

15. — FACETE DICTUM!

In quamdam tonstrinam homo facetus ingressus est, et tonsori interrogavit:

— Estne hic locus ubi asini tondentur? Respondet tonsor: «Ita est, intro veni!».

Barbastri.

RAIMUNDUS CODINA  
*V cursus alumnus*

16. *Mater:* Fili, cur stultam materteram vocas? Dic illi te paenitere.

*Filius:* Matertera, paenitet me quod stultas sis.

DANIEL ALGARRA

17. — SALTUS EQUULEI

I	TUS	CI	LE	VOR	NES
AC	A	CER	AD	PI	VAT
CO	RA	PE	PA		FU
■	VOS	DI	BAM	JU	TREM
CUN	LUM	■	IM	GA	■

18. — IN SCHOLA

*Magister:* Dic, Candide, capitis ossa.

*Candidus:* Capitis ossa... sunt... sunt... Immemor nunc sum, sed in capite omnia habeo.

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> GARCÍA

LIBRI QUI INSCRIBUNTUR  
TEXTOS PALAESTRA

venales prostant apud officinam librariam  
GRAFICAS CLARET — Lauria, 5 — BARCINONĒ

---

TEXTUS NOTULIS INSTRUCTI

- JIMÉNEZ, *Latín*, Primer Curso (2 edit.)  
• *Latín*, Segundo Curso (2 edit.)  
• *Latín* Tercero y Cuarto Curso  
• *Historiae Sacrae compendium* (4 edit.)  
• *Epitome Historiae Graecae* (5 edit.)  
SARMIENTO, *Phaedri fabulae* (edit. paratur)  
RAMOS, *Corneli Nepotis Vitae*  
MIR, *Ciceronis Epistulae selectae*  
JIMÉNEZ, *Caesaris de Bello civili* (2 edit.)  
• *Ciceronis pro Archia poëta* (2 edit.)  
• *Ciceronis in Catilinam* (2 edit.)  
RAMOS, *Ciceronis pro Q. Ligario oratio*  
MARTIJA, *Vergili Aeneidos* (lib. II, 2 edit.)  
MESA, *Sallusti de Catilinae Conjuracione* (2 edit.)  
PLANQUE - PLANAS, *Gramática Griega*  
MARTIJA, *Prudenti Carmina selecta* (2 edit.)  
SARMIENTO, *Martialis Epigrammata*  
MESA, *Titi Livi Historiae selectae*  
ZULOAGA, *Horati Carmina selecta*  
RUIZ, *Homeri Odyssea* (lib. I)  
RAMOS, *Xenophontis Anabasis*

TEXTUS TANTUM

<i>Ciceronis Epistulae</i>	<i>Sallusti de Catilinae Conjuracione</i>
<i>Ciceronis in Catilinam</i>	<i>Titi Livi Historiae</i>
<i>Ciceronis pro Archia</i>	<i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II)
<i>C. Nepotis Vitae</i>	<i>Horati Carmina</i>

VARIA

- MIR, *Nova et Vetera* (aptissima ratio qua hodie latine cum amicis loquaris)  
JIMÉNEZ, *De Orthographia Latina* (voces dubiae recensentur)

---

PALAESTRA LATINA, trimestres litterarum Latinarum commentarii  
PALAESTRA ADULESCENTIUM, separatim pro alumnis editur

# Corpus Scriptorum Paravianum

in Aedibus Jo. Bapt. Paraviae et Sociorum Augustae Taurinorum

*Corpus Scriptorum Latinorum apparatu critico instructum*

**Taciti Cornelii**, *De origine et situ Germanorum liber*. Recensuit MAXIMUS LENCHANTIN DE GUBERNATIS.

**Taciti Cornelii**, *Dialogus de oratoribus*. Recensuit MAXIMUS LENCHANTIN DE GUBERNATIS.

**Taciti Cornelii**, *De vita Julii Agricolae liber*. Recensuit MAXIMUS LENCHANTIN DE GUBERNATIS

**Tertulliani Septimii Q.**, *De corona liber. De cultu feminarum libri duo*. Iterum recognovit et praefatus est JOSEPHUS MARRA.

**Tertulliani Septimii Q.**, *De spectaculis. De fuga in persecutione. De Pallio*. Recensuit JOSEPHUS MARRA.

**Vergili Maronis P.**, *Aeneidos Libri XII*. Recensuit REMIGIUS SABBADINI. Editionem ad exemplum editionis romanae (MCMXXX) emendatam curavit L. CASTIGLIONI.

**Vergili Maronis P.**, *Aeneidos Libri XII*. Recensuit REMIGIUS SABBADINI. Editionem ad exemplum editionis romanae (MCMXXX) emendatam curavit L. CASTIGLIONI, Libri I-III.

**Vergili Maronis P.**, *Aeneidos Libri XII*. Recensuit REMIGIUS SABBADINI. Editionem ad exemplum editionis romanae (MCMXXX) emendatam curavit L. CASTIGLIONI. Libri IV-VI.

**Vergili Maronis P.**, *Aeneidos Libri XII*. Recensuit REMIGIUS SABBADINI. Editionem ad exemplum editionis romanae (MCMXXX) emendatam curavit L. CASTIGLIONI. Libri VII-IX.

**Vergili Maronis P.**, *Aeneidos Libri XII*. Recensuit REMIGIUS SABBADINI. Editionem ad exemplum editionis romanae (MCMXXX) emendatam curavit L. CASTIGLIONI. Libri X-XII.

**Vergili Maronis P.**, *Bucolica - Georgica*. Recensuerunt L. CASTIGLIONI et REMIGIUS SABBADINI.

**Appendix Vergiliana**, 1.<sup>o</sup> *Ciris-Culex*. Iteratis curis recensuit, praefatus est, apparatu critico instruxit ARMANDUS SALVATORE.

## VOLUMINA QUAE PARANTUR

**Apulei**, *Metamorphoseon Libri XI*. Post CAESAREM GIARRATANO edidit HENRICA MALCOVATI.

**Aviani**, *Fabulae*. Recensuit ANTONIUS GUAGLIANONE

**Carmina Ludrica Romanorum**. Recensuit CAROLUS PASCAL. Iterum edidit EGRATIUS CAZZANIGA.

**M. Tulli Ciceronis**, *Laelius de amicitia liber*. Post EGRATIUM BASSI recensuit PAULA VENINI.

**M. Tulli Ciceronis**, *Cato major de senectute liber*. Post ATILIIUM BARRIERA recensuit PAULA VENINI.

**Ovidii Nasonis P.**, *Epistulae ex Pontis*. Iterum edidit FRIDERICUS WALTARIUS LENZ.

Proximo fasciculo PALAESTRAE LATINAE alii accedent librorum indices .

**G. B. Paravia & C.** Corso Racconigi, 16  
TORINO (Italia)